DE

STATU REGIONUM GERMANIÆ, ET REGIMINE PRINCIPUM SUMMÆ IMPERII REIP. ÆMULO, NEC NON DE USU ET AUTORITATE JURIS CIVILIS PRIVATI, QUAM IN HAC PARTE JURIS PUBLICI OBTINET,

DISPUTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CUM BONO DEO,

EX DECRETO ET AUTORITATE AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS,

PRÆSIDE

EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,

DN. HENRICO BINNIO, ICto,

INSTIT. ET JURIS CRIMINALIS PROFESSORE ORDINARIO, FACULTATIS JURIDICÆ HODIE DECANO, ET DICASTERII GUELPHICI ASSESSORE, DOMINO SUO PLURIMUM COLENDO,

PRO FACULTATE RESPONDENDI DE JURE, EIQUE ANNEXÆ DIGNITATIS GRADU,

PUBLICE EXAMINANDAM PROPONIT

LUDOLPHUS HUGO,

AD DIEM XX AUGUSTI.

HELMESTADII,

Excudit HENNINGUS MULLERUS,

CIƆ IƆ C LXI.

DE

STATU REGIONUM GERMANIÆ,

ET REGIMINE PRINCIPUM SUMMÆ IMPERII REIP. ÆMULO,

NEC NON

DE USU ET AUTORITATE JURIS CIVILIS PRIVATI, QVAM IN HAC PARTE JURIS PUBLICI OBTINET.

Propositi explicatio.

I.

Duplici regimine Imperium nostrum administrari animadvertimus. Nam & communi aliquâ rep. Imperium universum regitur; & singulæ regiones, ex quibus componitur, proprios quosdam Principes, vel magistratus, judicia & consilia, atque adeò peculiarem quandam superiori illi subjunctam Rempubl. habent. Propositum igitur nobis est, hujus distinctionis causam & modum inquirere; tum etiam, quid ex summâ potestate, vel ad Imperij, vel ad inferiorum regionum administrationem spectet, breviter explicare. Non enim satis liquet, qualis sit potestas ἡ Αὐτοκρά-τεια Principium, Ordinumque Imperii, quâ in ditionibus suis pollent; siquidem in aliis rebus aliquantò liberior, & quasi sui juris, in aliis verò superiori Imperio magis subjecta videtur. Hæc igitur distinctè à nobis pertractanda sunt.

II. Quod autem ipsas Rerump. formas, quibus Germaniæ regiones gubernantur, attinet; quoniam variæ sunt, generaliter de iis aliquid tradere, difficile foret. Imprimis Civitatum Imperialium Respublicæ & à Principum regimine, & inter sese toto cœlo distant. Nihilominus tamen Principes regiones suas penè unâ quâdam formâ, aut certè rationibus nõ multũ diversis administrare cernimus. Quin si hoc regimẽ accuratiùs intueamur, ad ipsius Imperii exemplum quodammodo compositum, ejusque administrationem in multis æmulari deprehendimus. Et quamvis hæc similitudo hodie quidem obscurior videatur; cùm ob varias reip. mutationes tantùm non planè exoleverit: satis tamen dilucida est, si antiquum Imperii nostri statum ob oculos ponamus; cujus vestigia in hâc formâ regiminis, quâ hodienum Priucipes utuntur, adeò clara supersunt, ut hanc illius quasi propaginem quandam esse, dubitari non possit. Operæ igitur pretium facturi videmur, si primò hujus etiam rei rationes quæramus, tum deinde imaginem illam summæ Imperii Reip. in Principum regimine, eo ordine, quo ab Aristotele in Politicis partes Reipubl. explicantur, contemplemur. Quo facto, de civitatum Imperialium ac liberorum Equitum potestate ac republicâ aliquid subjiciemus.

III. Verùm longe aliâ methodo utuntur Iurisconsulti, qui de jure territorii, seu superioritate territoriali (his enim vocabulis vulgò appellant imperium illud, quo Principes ac reliqui ordines ditiones suas administrant) scripserunt; siquidem illi modos hoc jus acquirendi, actus, ex quibus quasi possessio ejus arguitur, denique actiones, quæ ex eo oriuntur, exponunt; quali ferè methodo jura privata tradi solent. Quin etiam ipsas juris civilis privati leges passim allegant, atque inde non paucas controver-

troversias, quæ in hâc materiâ occurrunt, decidunt; id quod in summis etiam Imperii tribunalibus fieri, manifestum est ex relationibus causarum in Camera Imperiali judicatarum, quæ in lucem prodierunt. Quoniam autem dubium suboriri potest, rectè ne an secus ita fiat; propterea quod jura privata cum jure publico non commiscenda videntur: ecquâ ratione tamen methodus illa Iurisconsultorum nitatur, & in universum ecquis juris civilis privati in hâc juris publici parte usus & auctoritas sit, per summa juris privati capita investigare conabimur. Quandoquidem verò, *si quis res, ut à principio oriuntur ac nascuntur inspexerit, hoc modo optimè rei veritatem perspexerit*, ut autor est Aristoteles: a primò omnium considerandum nobis est, ex quibus initiis Ordines Imperii ad hoc tantum fastigium, quo hodie cernuntur, pervenerint. Sic enim perspectâ singulorum origine, deinceps, quid inter se commune habeant, commodiùs videbimus: & differentiæ regionum Germaniæ eâdem viâ innotescent.

a lib. 1. Polit. cap. 2.

CAPVT I.

DE REGIONUM GERMANIÆ VARIIS GENERIBVS, ORDINVMQVE IMPERII INITIIS ET INCREMENTIS.

I.

NOtum est ex Cornelio Tacito, a civitates, id est, consociationes unius civilis imperii per Germaniam olim fuisse complures; cùm singulæ nationes suas haberent respubl. ab aliis planè separatas; nec in commune saltem ut consulerent, adduci potuisse; tantum abest, ut in unum aliquod Regni vel Reip. corpus coaluerint. Itaque singulæ mediocris magnitudinis modum non adeò excedebant, ut variis ac diversis partitionibus, imperii commo-

a lib. de moribus Germanorum.

 dius

diùs explicandi causâ, illas secare opus esset. Sufficere poterat, quòd in pagos & vicos dividerentur, quibus Principes, id est, nobilitate præcipui, juris dicundi causâ præerant; ita tamen, ut singulis certi quidam ex plebe comites, id est, assessores consilii & autoritatis causâ adjungerentur. Publica negótia, minora quidem conventu Principum, majora totius populi concilio tractabantur. Duces nonnisi belli causâ eligebantur; quo finito potestas exspirabat.

II. Cæterum Franci, cùm inclinatis Romanorum rebus provincias Galliæ occupassent, paulatim Germaniam etiam armis subactam ditioni adiicere, & in unum corpus cogere cœperunt. Cum igitur hâc ratione in bellum majori studio, quàm antea fiebat, incumbere cogerentur; quippe olim, teste Tacito, præliari magis, quàm belligerare, & vastare magis finitima, quàm imperio acquirere, moris Germanici erat: respubl. quàm optimates & populus hactenus rexerant, in regnum, quo nulla alia resp. ad bellicas rationes accommodatior est, mutavit. In reliquis autem antiqua administrationis forma retenta est. Nam principes nobilitatis, quos vernaculo vocabulo Graviones, Romano Comites vocabant, æquè ut olim per pagos & vicos jus dixerunt. Acceptâ autem religione Christianâ etiam Episcopi additi, qui sacra curarent. Atque hi duo per singula territoria, quæ Gouas dixerunt, ordinarii fuerunt magistratus. Nam quod paulò antè notavimus, Duces olim in Germaniâ non fuisse electos, nisi cum bellum ingrueret, idem quoque primis regni Francici temporibus in usu fuisse, dubitari non potest. Quò etiam tendunt Beati Rhenani verba: a *Nec tantum potestatem habebat Dux, quantam hodie videmus; siquidem persæpe se tantum Ducem militum nominabant; quemadmodum in vetustissimo diplomate apud Divum Ludegarium Lucerantem scriptum est: Ego VVithardus & frater meus Rupertus Dux militum Regis Ludovici. Fuit autem is Rupertus Alemanniæ Dux sive Sueviæ.* Potestatem igitur primis temporibus modicam habuerunt. *In Francico Imperio*, inquit Bodinus, c *Duces Comites, Marchiones & qui arces provinciarum habent à Principe, jurisdictionem & imperium olim habuere precarium, nihil suum.* Similiter Vadianus scribit: d *Perinde ut apud Romanos Proconsules, Præsides, Quæstores, Procuratores, ita in Francorum Regno Duces, Comites, & qui Camera nuntii dicebantur, aliena potestati*

a lib. 2.

c lib. 3 de rep. cap. 5.

d lib. 1. de colleg. monast. in German. veter.

testatis functionem gerebant. Sed hæc non nimis crudè intelligenda sunt, ne dum alterum extremum evitare conamur, in alterum incidamus. Non enim nudi Regum ministri, sed magistratus Regni fuere, inter quos utique magna differentia est. Nec cum Romanis magistratibus comparatio bona est. Romani enim Imperatores planè monarchico ac fere herili imperio præerant, siquidem Principi quod placebat, lex erat. Sed Francorum Reges civiliter imperarunt, legibus adstricti; maximaque imperii negotia ad Procerum & Populi comitia referre tenebantur. Non igitur officia ista *ad nutum fuere removibilia*, ceu loquitur Nicol. Cusanus. *a* Iuramento enim solenni adstringebantur Reges, ne cui honorem nisi jure ac judicio auferrent. Verùm tamen est, Duces, Comitesque non suam sed publicam Regni ditionem administrasse. Regem etiam supremam directionem habuisse, vel inde apparet, quòd certis anni temporibus Legatos in singulas regiones mittere consueverit, qui de appellationibus cognoscerent, in vitam & mores magistratuum provincialium inquirerent, & eâ de re ad Regem referrent, vel per se ipsi peccata eorum, si modica essent, corrigerent *b*. Denique constitutio Ducum, Comitumque partim quidem in Comitiorum, partim verò in Regis potestate fuisse videtur. Quamvis igitur liberi parentibus mero jure non succederent; si quis tamen eorum idoneus esset, ut patri surrogaretur, ejus ratio habebatur. Atque hoc antiquissimis Germaniæ moribus convenire colligere licet ex eo, quòd scribit Tacitus: *Insignis nobilitas, aut magna patrum merita dignationem Principis etiam adolescentulis assignant.* Sed de antiquo Regni Francici statu pro ratione instituti nostri satis. Quoniam autem initium mutationis à Ducibus factum est, consequens est, ut hoc nunc exponamus.

III. Quanquam Duces ab initio militare tantùm officium gessissent, ut nomen arguit, postmodum tamen cessit eis etiam civilis administratio. Integras enim provincias ex pluribus Comitatibus coagmentatas civili & militari imperio administrarunt. Simile quid jam antè acciderat in Imperio Romano. Nam licet severis sanctionibus constitutum esset, ut Duces limitaneis provinciis præfecti à civili administratione abstinerent, & militiam tantùm curarent: *a* nihilominus tamen prævalente militari imperio, etiam præsidum fun-

a lib. 3. de concord. Cathol.

b Lehman, lib. 2. Chrō. Spirens. cap 10.

a t. t C. de offic. mil. jud. judic.

a Nov. 102. in princ. b lib. 7. Polit. cap 9.

functionem arripuerunt. a Magna enim est in Republ. potestas eorum, qui arma tractant; quippe Aristotelis judicio. b *Penes quos armorum est arbitrium, eorundem arbitratu manet & non manet Reip forma.* Non igitur mirum in Francico Regno Duces paulatim insurrexisse, tantoque tandem incremento auctos, ut penè Regiam potestatem in ditionibus suis exercerent. Præsertim cùm primæ familiæ Reges in luxu & otio marcescentes, vix singulis semel annis se conspiciendos publicè præberent; fieri aliter non potuit, quin pro se quisque, quâ parte poterat, neglecta à Regibus munia occuparet, & in ditionem suam pertraheret. Pipinus quidem, qui primus ex secundâ familiâ regnavit, antiquam vim & autoritatem in nomen Regium retulit: Carolus autem successor ejus, cùm in ordinem cogere non posset refractarios Duces, planè abolere nomen & officium hoc instituit, substituto moderatiori Comitum imperio. Sed hâc etiam familiâ ad senium vergente, iterum succrevit Ducum potentia, & auctis cum tempore viribus, eousque tandem provecta est, ut Regio Imperio non multùm esset inferior. c Primas hâc in re scriptores deferunt Henrico Saxoniæ Duci, qui postea etiam regnavit: de quo Crancius, d *Erat*, inquit, *inter omnes Regni Principes præpotens ac viribus formidabilis; qui primus libera potestate principatum Saxoniæ administrabat. Nam majores ejus sub Regibus delituerunt.* Comites quidem aliquantò diutiùs mansere in officio: sed indies cùm per bella civilia, tum per alias temporum injurias, magis magisque decrescente vi & autoritate Imperatorum, qui jura imperii partim obliterari negligentiâ patiebantur, partim prodigalitate quâdam ultrò profundebant; factum est, ut Comites etiam, licet dignitate Ducibus multùm inferiores, eandem usurpare libertatem, eâdemque potestate ditiones suas, utut Ducatibus minores, possidere cœperint. Certum tempus hâc in re determinari non potest. Non enim uno momento, sed tractu temporis hujusmodi mutationes fieri solent, ita ut non mutari Rempubl., sed mutatam esse sentias. *Civitas*, inquit Aristoteles, e *ex partibus concreta & coagmentata est, quarum sæpe nonnulla occultè augescit.* Itaque & frustra laborant, & à veritate historiæ aberrant, qui hæc vel ad Caroli Magni, vel Ottonis I. in Germania, in Galliâ autem ad Hugonis Capeti tempora referunt, f quasi ab his Imperatoribus ac Regibus

c Lehman. dict lib. 2. cap. 16. & cap. 47.
d lib. 2. Sax.
e lib 5. Polit cap. 3
f Choppin.

bus dignitates illæ, olim temporariæ, perpetuæ factæ sint. Nam etiam in locis differentia est, cùm alibi citiùs, alibi seriùs hæc introducta. Per Italiam certe Imperatorum potestas integritatem diutiùs servavit, cujus nunc ibi vix pauca vestigia restant. Itaque Compilator juris Feudalis Longobardici suo adhuc tempore scripsit, in feudo Regali, Ducatu scilicet, vel Comitatu non esse successionem, nec alium acquirendi modum locum habere, quam investitutam & beneficium Imperatoris. *d* At in Germaniâ, dubium non est, quin eo tempore Principes & hæreditario jure tenuerint ditiones suas, & liberâ penè voluntate administraverint.

de Doman. Franc lib. 1. tit. 6. n 17. Paurmeister. de jurisdict. lib. 2. cap. 12. n 8 & 9.

d 1. feud. 14 princ.

IV. Facilè autem quivis videt, quanta hîc facta sit rerum mutatio. Cùm enim antea universum Imperium unum esset Civile corpus, unâ Republ. animatum, quod Regiones, ex quibus constabat tanquam membris, per magistratus suos, id est, legibus Reipubl. & summi Principis imperio adstrictos administrabat; nunc in partibus Imperii complura quasi peculiaria Regna exorta, suis legibus composita, quæ tamen adhuc in Rempubl. aliquam communem, sed ab ipsis distinctam, conspirant. Itaque Principes nostri cives quidem Imperii censentur in negotiis rem illius publicam spectantibus: in ditionibus autem suis penè Reges & Autocratores quidam videntur. Hinc Superioritas territorialis, summæ æmula Majestatis: hinc πολυθρύλλητον illud: tantum posse quemlibet Principem in suo territorio, quantum Imperator in Imperio universo; quòd non ita malè dici, ut vulgò putatur, infrà demonstrabimus. Feudorum Regalium, id est, Ducatuum, Comitatuum, atque id genus aliorum itidem longè alia cœpit esse conditio. Etenim antea quidem filius patri autoritate Imperatoris surrogabatur, si ille probatâ ejus personâ, investituram ipsi renovaret, id est, feudum per mortem patris vacans denuo ipsi concederet, atque ita Ducem vel Comitem constitueret. Nunc autem filii Principum nascuntur cum dignitate regali, ita ut ab ipsâ statim nativitate Ducis, Comitis, aliúsve paterni honoris nomine vocentur. Nec successionem in feudo ampliùs à manu Imperatoris expectant: sed suo jure statim à morte patris, etiam ante investituram succedunt, & velut hæreditatem adeunt. Nihilominus deinceps investitura antiquo ritu peragitur. Quippe ita vulgò fieri solet,

ut cæremoniæ solennes maneant, re licet planè mutatâ. Nec per investituram officium tantùm magistratus ad provinciam Imperii administrandam, unà cum prædiis dignitati officii illius sustentandæ dicatis, consequuntur, ut olim fiebat: *a* sed integram ditionem feudi, id est, dominii cujusdam jure possident. Jurisdictionis inde facies planè mutata. Cùm enim antea personæ potestas esset, nunc jus in re, in bonis & patrimonio esse cœpit, res antè planè inaudita. Cum enim pars sit dominii illius universalis, quo territoria tenentur; non minùs jus in re erit, quàm ipsum dominum. Regalia quoque inde dominum mutarunt. Jura enim Regia fuisse, & ad fiscum regium spectasse, ipsum nomen significat. Deinceps verò ordinarii reditus principum esse cœperunt, ut quamvis antiquum nomen Regalium retinuerint, hodie tamen potiùs jura ordinum Imperii dicenda videantur. Sed differentiæ antiquæ & hodiernæ Reip. ex his satis perspicuæ sunt. Quoniam verò hæc præsentis status principium quoddam continent, & ad ea, quæ deinceps à nobis tradentur, cognitu necessaria sunt; propterea explicanda fuerunt aliquantò prolixiùs. Nunc autem reliquorum Ordinum originem exponamus; & primò quidem Episcoporum. Quanquam enim dignitate secularibus Principibus antecellant, ortu tamen posteriores sunt. Itaque nos temporis, quàm dignitatis ordinem sequi maluimus.

a Lehman lib. 2. Chrō. Spir. cap. 17

V. Episcoporum nomen & officium unà cum religione Christianâ & Imperio Romano ad nos propagatum esse, jam antè indicavimus. Initiò quidem fervore religionis, divitias & civiles ambitus aspernati, Sacra & disciplinam ecclesiasticam tantùm curabant. Sed successu temporis cum opibus animi creverunt. Inde igitur non tantùm disciplinam ecclesiasticam majori vi & autoritate exercuerunt, episcopali audientiâ in veram quendam jurisdictionem degenerante; sed cœperunt etiam ad civilem administrationem animum adjicere. Imprimis sub Regibus Francicis secundæ familiæ ingens divitiarum, honoris & potestatis incrementum eis accessit, eò quòd persuasione quâdam pietatis Reges, Proceres & privati certatim amplissimos reditus & possessiones ijs conferrent. Unde Ludovicus I. Pij nomen accepit, quòd erroris occasionem præbuit illis, qui putant ab hoc Imperatore Episcopos Principum ordini adscriptos

esse.

esse. a Saxonici autem Imperatores longiùs adhuc progressi. Otto enim Magnus regalibus, castris, civitatibus, quin integris ducatibus & comitatibus Episcopos donavit, quod ad hæc usque tempora inauditum fuerat. Primùm fratri Brunoni Archiepiscopo Coloniensi ducatum Lotharingiæ, deinde filio Wilhelmo Archiepiscopo Moguntino Hassiam & Thüringiam dedit eodem jure, quo Duces regiones illas tenuerant: Spiram Nemetum Episcopo loci subdidit; aliis alia dedit, quod exemplum successores secuti. b Inde igitur factum, ut jam duplicem personam sustineant, Principis secularis & ecclesiastici, c & ditiones ab Imperatoribus donatas potestate gladii, & omni civilis imperii jure, diœcesin autem jurisdictione sacrâ administrent. Alii etiam nomine Ducis, vel Comitis utuntur; quo tamen alii abstinent. d An autem hoc jure fiat, necne, quod qui militant Christo, secularibus negotiis implicentur; an hæc Pontificatûs & potentatûs civilis conjunctio Imperio nostro utilis, an verò perniciosa fuerit, disputare non est nostrum. Haud tamen alienum à vero videtur, quod Marcus Antonius de Dominis notat, e Imperatores illos, qui dignitatibus & opibus regalibus evexerunt Episcopos, non tam pietate & religionis studio, quàm dominatûs sui firmandi causâ, vel ut hodie loquimur, ratione status adductos fuisse. Ipse quidem de Carolo Magno loquitur; sed idem non minori jure de Ottone Magno dici potest. Ut enim erat Princeps revera magnus; sic nihil, quod ad magnitudinem nominis & potentiæ augendam pertineret, omittebat. Studebat rei bellicæ; provehebat liberos; undiquaque affinitatibus se muniebat; f denique ergo fratri & filio Archiepiscopis Ducatus etiam addebat, quò pluribus munimentis insisteret. In universum autem sperarunt sine dubio Imperatores, utilius sibi fore, si episcopis regiones Imperii committerent potiùs, quam Ducibus. Hi enim hæreditario jure eos tenebant. At Episcopis ipsi Imperatores, quos volebant, successores per novam investituram dabant; quos proinde magis obnoxios fore, satis verisimile erat. Sed res longè aliter cecidit. Jam penè enim ad fastigium perducta erat monarchia illa, quam ex ruinis Imperii Pontifices Romani extraxerunt. Hi igitur, cùm agrè ferrent, ab Imperatoribus Episcopos constitui, omnem moverunt lapidem, quò eis hoc jus extor-

a Sixtinus de regal. lib 4. cap 4 n. 125.

b Lehman. lib. 4. cap. 3.

c Gail. 1. obs. 20.

d Reinking de regim. secular. & eccles lib. 1. clas. 4. c. 9.

e de repub. Eccles lib. 6 cap. 7. n. 89. & c. 8. n. 12.

f Crancius Saxon. lib. 3 & 4.

que-

torquerent. Sed hæc alterius loci sunt. Nobis sufficiat, quâ occasione Episcopi civiles principatus nacti sint, breviter indicasse.

VI. Sic igitur manifestum est, duos esse in Imperio nostro Principum ordines, alios ecclesiasticos, alios civiles. Sunt autem in utroque ordine variæ iterum differentiæ. In ecclesiastico quidem ordine sunt Archiepiscopi, Episcopi, Principibus adscripti Abbates, & reliqui Prælati, quasi minorum gentium. Seculares sunt Duces & Comites, de quibus diximus. Ducibus autem Principes specialiter ita dicti, Marchiones Landgravii; Comitibus Barones junguntur. Præcipui ex utroque ordine Electores sunt. Differentias has accuratiùs explicare, ad nostrum institutum non est opus. Quanquam enim in communis Reip. administratione, magna inter eos diversitas sit: jure tamen territorii æquales sunt. Itaque satis est exposuisse, quomodo uterque ordo ad hoc autocraticum imperium pervenerit. Jam ad civitates Imperiales transeamus. a

a De civitatum Imperialium origine & incrementis videatur Lehmann. Chro. Spir. lib 4. c. 3. & Herman. Conringius Vir Amplisf. in disputat. de Urbibus German.

VII. Majores nostros non urbes, sed pagos & vicos habitasse, satis notum est ex Tacito & aliis. Cum autem cum religione Christianâ mansuescerent paulatim, & gustu quodam civilioris vitæ imbuti, priscam morum feritatem exuerent; ad Urbes vel novas extruendas, vel a Romanis conditas, temporum injuriâ autem destructas, reparandas animum adjecerunt. Rexerunt autem eos eâdem formâ imperii, quâ aliquas Imperii regiones: Duces nimirum, vel Comites & Episcopos, hos Ecclesiasticâ, illos civili potestate iis profecerunt. Veteris autem administrationis formam nonnihil immutavit Otto Magnus, abolito per civitates nonnullas Ducum, Comitumve Imperio, quod Episcopis tradidit, ut ipsi conjuncto duplici officio, ceu paulò antè tetigimus, eas administrarent. Quoniam igitur id temporis ecclesiasticus magistratus mitior & indulgentior videbatur, quàm civilis; hoc initium quoddam & quasi gradus primus ad eam, quam deinceps nactæ sunt libertatem censeri potest. Quæ autem in Ducum, Comitúmve ditione erant, eodem jure, quo reliquæ territorii partes, iis subjectæ erant. Aliæ quidem, quamvis paucæ numero, sub Imperatoris ditione manebant, αὐτονομίαν tamen, vel superioritatem nullam habuere. Nam Imperatori eodem jure, quo cœteræ Principibus suis, subditæ erant, & per præfectos

ejus

ejus gubernabantur. Demum post Ottonum, & partim etiam Henricorum tempora major lux libertatis iis affulsit. Cum enim bellis variis civilibus implicarentur Imperatores; ut Civitates in partes suas traherent, vel etiam jam præstitam sibi operam remunerarentur, privilegiis quibusdam eas ornarunt, quibus paulatim alia atque alia addiderunt. Eò impensiùs autem studuerunt eas extollere, quò Ducum, Episcoporum, aliorúmve principum potentiam, quæ jam gravis videbatur, subducto illis Civitatum imperio, imminuerent. Ipsarum civitatū nonnullæ partim vi, partim pretio, partim diuturnâ præscriptione à dominis, quibus olim suberant, se liberarunt. Imprimis Ducum Franconiæ & Sueviæ interitus non paucis, quæ istis antea paruerant, libertatem peperisse videtur. Nam eos, qui postea titulos illos usurparunt, dominos non agnoverunt. Cui rei vel hoc argumento est, quòd Civitates Imperiales per hunc terræ tractum frequentiores existant, quàm in ullâ aliâ Imperii parte. Ita tandem factum est, ut aliæ citiùs, aliæ seriùs in plenam libertatem se assererent, suis jam legibus viventes, suosque habentes magistratus, judicia & Remp. In quibusdam tamen supersunt quasi notæ quædam pristinæ subjectionis, quibus veteribus dominis obnoxiæ manent; *a* quemadmodum in libertis vestigium prioris status est, obsequii erga patronum, & interdum etiam operarum obligatio. Atque hæ quidem Civitates Imperiales vocantur, jure superioritatis territorialis (quanquam quæstio eâ de re sit, ut infrà dicetur) & suffragii in Comitiis Principibus Imperii pares, licèt dignitate sint inferiores

a Wehner. in pract. observ. verb. Freye Reichs Städte.

IIX. Iisdem ferme rationibus ac modis, quibus Civitates libertatem nactæ, alii etiam Dynastæ; Prælati, Equites, Collegia, quin etiam Vici nonnulli Principum Imperio se exemerunt; qui quamvis jure suffragii in Comitiis Imperii, ad quæ ob tenuiorem conditionem vel adspirare non ausi, vel venire defecerunt, non fruantur; terras tamen ac ditiones suas, quas quidem ab imperio habent, eâdem ferè libertate ac jure, quo ipsi Imperii Proceres, possident. Facilè in his excellit libera Nobilitas Franconica, Svevica, & Rhenana, cui itidem Franconiæ & Sueviæ Ducum interitum libertatis originem dedisse, autor est Besoldus. *b In utraque Bavariâ*, inquit, *Saxoniâ, aliisque in locis, ubi ex familiis priscis Principum successores supersunt, illi semper & ad*

b de equest. ordin. n. 8.

 hoc

hoc usque tempus nobiles manserunt mediati. **Franconia** *autem licèt olim habuerit Duces, eorum tamen jus postea accrevit imperio, ut ex mediatis immediati facti fuerint nobiles.* Similia scribit de Suevicâ & Rhenanâ Nobilitate. Ad hunc locum etiam referendi sunt pagi immediati, quos innuit Instrumentum pacis, his verbis. *a Fiat itaque restitutio omnium Electorum, Principum & statuum utriusque religionis, comprehensâ liberâ imperii Nobilitate, ut & Communitatibus ex pagis immediatis.* Clariùs horum conditionem describit Goldastus *b* qui etiam nomina addit. Verba ita habent : Es seind freye Reichs Dörffer/Suffelheim/Godramstein / Camb vnd andere/so mit Hoch- vnd Niedergerichten begabet / vnd allein Kayserl. May. ohne mittel vnterworffen.

a cap. 5. § 2 terminus a quo.

b In epistol. dedic.

d Reichs Handelungen.

IX. Sic igitur differentias eorum, qui Regionibus Imperii nostri præsunt, tum etiam originem eorum & incrementa, quoad nostro instituto satis est, enarravimus. Nimirum in universum duplicis generis sunt. Alii enim Ordines Imperii sunt, Principes ecclesiastici, aut seculares, aut Civitates Imperiales: alii vero Imperatori quidem nullo medio subjecti sunt; quoniam tamen jus obeundorum comitiorum non habent, in Ordinibus Imperii non censentur. *c* Totidem igitur ipsarum Regionum Imperii genera sunt. Earum enim differentiæ ex illorum, quorum imperio subsunt, diversitate fluunt; quod nomen Ducatus, Episcopatus, vel alterius talis notæ arguit.

c Reink. de reg. secular & eccles. lib. 1. class. 5 cap. 10. n. 1. 2. & 3.

X. Postquam igitur varia Regionum genera, & singularum originem recensuimus; nunc longè nobis expeditior via erit, statum & administrationem earum explicandi. Quoniam autem vulgò territoria hodie vocari solent; statim sese offert doctrina illa JCtorum de territorio, eique cohærente jurisdictione. Est autem hæc doctrina, ut notum est, intricata, & si quæ alia, impedita. Antiqui enim illi Juris Interpretes, cum jus Romanum ex nostrorum temporum consuetudine interpretarentur, etiam in iis partibus, in quibus mores nostri à jure Romano planè dissident; cùm in aliis materiis, tum verò imprimis in Jurisdictionis explicatione mirum in modum hallucinati sunt. Accedit, quòd, quæ Itali, Galli vel Hispani suæ singuli Reip. contemplatione scripserunt, ea Nostratium nonnulli nostris

ftris etiam rationibus aptare velint; alii verò, qui ad nostram potius Remp. respiciunt, hæc ut à vero aliena reprehendant: quo factum est, ut materia ista per se satis spinosa tot tantisque nodis & controversiis involuta sit, ut meritò hodie in difficillimis habeatur. Rectè igitur monet Andreas Knichen, a ut ab Italorum doctrinâ caveamus, quam ad nostrum horizontem non quadrare putat. Quare nos, omissis impræsentiarum ijs, quæ ad eum modum à ICtis de territorio & jurisdictione tradita sunt, nostræ Reip. usum quoniam ab aliis ferè omnibus hâc in parte diversa est, considerabimus. Ut igitur justâ methodo progrediamur; quoniam magna Imperia variis modis in partes distinguuntur; explicatâ hujus rei causâ, & differentiis præcipuis inspectis, sine dubio in cognitionem Regionum Germaniæ, quarum administrationem investigamus, penetrabimus.

a de jure territorii, c. 1. n. 1163. 1249. 1254. & 1254.

CAPVT II.

DE DISTINCTIONE REGIONUM ET CONSTITUTIONE RERUMPUBL. INFERIORUM IN GENERE.

I. Quoniam vasta Regna & Imperia satis spatiosum terræ ambitum, & numerosam hominum multitudinem complectuntur, meritò quæritur, quomodo grande hujusmodi corpus ad Civile aliquod regimen suscipiendum aptari & disponi possit. Nam ex mente Aristotelis, b *Numerus valde modum superans, non potest ordinis esse particeps. Tam immensam enim multitudinem imperio regere, potius*, inquit, *divinæ potestatis opus est, quæ & hoc universum moderatur & continet.* Paulò pòst addit, *haud facile esse, ut in universâ aliquâ gente Resp. sit.* Verùm utut fortassis magna hæc Regna & Imperia non sint capacia accurati istius ordinis, qui ad beatæ Civitatis, prout ab Aristotele formatur, statum requiritur: certum tamen est, hæc quoque posse & debere habere suam quandam Rempubl. & civilem ordinem. Quæ igitur ratio in his ineunda? Scilicet in omnibus rebus, quæ plura continent subjecta, quàm ut singula à communi principio

b lib. 7. Polit. cap. 4.

ἀμέ-

ἀμέσως moveri possint, hoc fieri videmus, ut in membra quædam, atque hæc iterum in alias quasdam minores partes dividantur; quò excitante communi principio partes sibi proximas, hæ deinceps alias remotiores impellant, & sic universum corpus motus fiat particeps. Non opus est exempla longiùs petere. Illustre imprimis est in exercitu, qui dividitur, verbi gratia, in legiones, legiones in cohortes, cohortes in centurias & manipulos. Partibus hisce etiam magistratuum militarium ordo respondet. Summo Imperatori seu Duci exercitus subest Legatus; deinceps sunt tribuni; hos subsequuntur centuriones, & id genus alii. Quâ ratione fit, ut numerosa hominum multitudo ad solum unius nutum moveatur, cedat, vel instet, & quælibet imperia exactâ obedientiâ exequatur. Ad eundem igitur modum Imperium, vel Regnum in certas quasdam partes dividendum, atque in singulis magistratus constituendi, qui ibi jussa summæ potestatis exequantur, ac de ijs statuant, ad quæ summa potestas curam porrigere nequit. Atque harum partium subdivisio eousque continuanda, donec sufficiat. Sic in Romani Imperii partibus quatuor constituti olim erant Præfecti Prætorio: hos subsequebantur Vicarii, qui diœcesibus præerant: diœceses istæ aliquot complectebantur provincias, quarum singulæ suos Præsides habebant: denique Præsidibus suberant magistratus municipales; qui in Civitatibus jus dicebant. Cæterùm cùm non in gente solùm, aut imperio ex pluribus gentibus composito hæc ratio necessaria sit, sed sæpe in unâ etiam Civitate; quid hîc peculiare sit, quærendum est.

II. Notandum igitur, interdum certæ cujusdam rei particularis, verbi causâ, jurisdictionis, Rei militaris, tributorum colligendorum, regiminis ecclesiastici, aut alterius talis negotij, unius, vel plurium gratiâ loca distingui, iisque magistratus harum rerum finibus circumscriptâ potestate præfici. Solius jurisdictionis causâ disterminata loca passim occurrunt. Regiminis tantùm ecclesiastici causa distinguuntur diœceses Episcoporum. Militiæ ordinandæ causâ, ad pacem publicam constituendam, & ad executiones faciendas in Imperio nostro Circuli constituti sunt. Verùm hæc ratio divisionis, cum non minùs in Civitate unius urbis, a quàm in latius diffuso

a Arist. lib. 5 Polit. cap 5

diffuso imperio adhibeatur, non est illa, quam quærimus. Sic Roma olim in tribus, ab Augusto autem in certas regiones distributa fuit. Quò etiam referri potest quæstio, quam movet Aristoteles, a de magistratuum distinctione, an ex loco, an verò ex personis, an ex rebus facienda sit.

a lib. 4. Polit. cap. pen.

III. Hâc igitur omissâ, in amplis Imperiis peculiaris quædam ratio divisionis observatur. Non enim hujus aut illius rei causa, sed ad pleraque omnia, quæ usus vitæ civilis desiderat, ordinanda regiones aliquas designari, iisque magistratus omnis generis, aut certè unum universali quodam imperio præfici cernimus: id quod in unâ urbe adeò nulli usui foret, ut, monente Aristotele, b seditionibus potiùs opportunum esset. In vasto autem imperio necessarium est. Itaque tunc quasi peculiares Civitates & Respubl. ὑπάλληλοι nasci videntur. Per se enim consideratæ Civitatis quandam speciem habent; ad universum autem imperium relatæ, eam habent rationem, quam domus ad Civitatem. Ut enim Civitas unius urbis ex domibus, sic Imperium grandius ex civitatibus & regionibus subjectis componitur. Superior igitur Respubl. est, quæ omnium summam in universo Imperio potestatem habet, sive illa in unius manu sit, sive penes paucorum, aut multitudinis concilium ex unâ urbe aut provinciâ, vel totâ gente collectum; sive mixto modo se habeat. Huic autem inferiores Respubl. subjectæ sunt, quæ in partibus regni vel Imperii constitutæ.

b lib. 5 Polit. cap. 3.

IV. Ad eum igitur modũ se habere videntur ditiones Ordinum Imperii nostri, quæ territoria vocantur. Peculiaris enim in singulis consistit Respubl., & præterea omnes conjunctim sumptæ communi aliquâ Rep. totius Imperii continentur. Unde differentia apparet inter territoria & Circulos. Nam Circulorum potestas à Rep. Imperii communi dependet, & sunt ejusdem corporis quasi artus quidam. Sed territoria singula per se peculiare aliquod corpus civile, Imperio tamen insitum, constituunt. Si igitur definitio Territorii quæratur, dici fortassis potest, esse Partem Imperii, loco distinctam, ad hoc, ut peculiari regimine Civili, Reip. communi subjuncto administretur. Quoniam autem res nondum satis explicata videtur; siquidem Rerump. ὑπαλλήλων variæ sunt differentiæ: hæ etiam

iam

iam differentiæ nunc consideran dæ sunt; quò manifestum fiat, quomodo administratio, Regionum Germaniæ instar peculiaris Reip. se habeat, & nihilominus Imperio subsit.

V. Dubitari enim omnino potest, an ratio administrandi Regiones Superiori subjectas Respubl. censeri possit. Nam subjectio cum naturâ Reip. pugnare videtur; quod apparet ex definitione ab Aristotele traditâ. (*a*) Definit enim Remp. quod sit *Ordo Civitatis cùm in aliis magistratibus, tum in eo maximè, qui omnium summam potestatem habet.* Ubi igitur non est summa potestas, ibi nec Resp. Sed in administratione Civitatum ὑπαλλήλων non versari summam potestatem inde patet, quòd Superio rem agnoscant. Verùm notandum, quemadmodum imperii, sic & subjectionis varias esse differentias. Est enim imperium vel herile vel civile, (*b*) & utriusque iterum varii sunt gradus. Civitates itaque regionesque Imperio alicui subjectas totidem modis differre necesse est. Idque inde etiam colligere licet, quòd magna Imperia componantur ex civitatibus subjectis, quemadmodum mediocres civitates ex singulis civibus. Cives a item differunt pro diversitate Reip., cui subsunt. (*c*) Quod igitur Aristot. de civibus dicit, idem dicere possumus de civitatibus Superiori subditis. Verba ita habent. *Nemini autem obscuram esse* debet, quibus in rebus subjecta specie differunt, *& eorum aliud est primū, aliud secundum, aliud deinceps subsequens: earum rerum aut nihil prorsus esse commune, quâ ratione sunt tales, aut perquam tenuiter & angustè. At Respublicas differre inter se specie videmus, & earum alias esse priores, alias posteriores. Depravata enim, quæque deflexerunt à recto, rectis posteriores sint, necesse est. Ergo etiam civis in quâque Rep. sit alius ac dissimilis necesse est.* Idem nunc de Civitatibus alteri subjectis dicendum est. Nam aliæ adeò omnium rerum potestatem habent, ut, licet superiori cuidam Reip. subditæ videantur, revera tamen tales non sint, sed liberæ & sui juris existant. Aliæ contrà adeò nullam potestatem habent, ut vix levem imaginem propriæ cujusdam Reip. in iis reperire licet. Aliæ autem inter has interjectæ sunt. Cum autem omnes hos gradus & differentias persequi nec facile sit, nec ad nostrum institutum opus; præcipua tantùm genera aliqua recensebimus; quemadmodum Aristo-

teles,

(a) lib. 3. Pol. cap. 6.

(b) Aristot. lib. 3 Polit. cap. 6.

(c) Aristot lib. 3 Polit. cap. 1.

teles etiam in ejusmodi generibus extrema tantùm annotare solet, (a) cùm ex his interjecta facilè cognoscantur.

VI. Primum igitur genus, est cùm Civitates nonnullæ societatem adeò arctam & adeò multis de rebus pactis & conventionibus inter se constituerunt, ut hæc consociatio vulgaris fœderis terminos excedere, & aliquid è societate civili trahere videatur. Talis olim fuit societas Achaica, quæ quamvis fœdere tantùm constaret, vinculo tamen ita arcto combinata fuit, ut Polybio quidem id solum reliquum esse visum sit, quòd Civitates istæ non eorundem mœnium ambitu clauderentur. (b) Nostrâ ætate ejusdem generis exempla habemus in Fœderato Belgio & Helvetiâ. Nam Fœderatum Belgium non in unam quandam Civitatem coivisse, ut multis persuasum fuit, sed singulas provincias adhuc sui iuris, inter sese autem tantùm fœdere connexas esse, multis ostendit Boxhornius in commentario de fœderati Belgii statu. (c) Helvetiæ eandem rationem esse, fatetur Josias Simlerus. (d) Nam ex fœdere nulla civilis subjectio oritur; ut ex Aristotele (e) docet Hugo Grotius. (f) Non enim societas fœdere contracta Civitatum domina, sed ipsæ Civitates fœderis dominæ sunt. Quanquam igitur fœdus ejusmodi superioris cujusdam Reip. speciem habeat; revera tamen alterius cujusdam generis administratio est: adeoque vera Rerumpubl. subordinatio inde non oritur.

VII. Alterum genus priori planè contrarium est, cùm scilicet magistratuum, qui Civitati, vel regioni alicui præsunt, potestas planè in omnibus à Rege vel superiori Rep. dependet; qualis olim erat provinciarum Romanarum conditio. Nam qui his præerant magistratus, erant nihil aliud, quàm ministri quidam Imperatoris, qui eorum operâ provincias planè herili imperio regebat. Exempla remissioris & civilioris imperii, cùm in promptu sint, non opus est addere. Iam igitur etiam hoc genus administrationis à formâ Reip. longiùs recedit: & quemadmodum in priori specie non est vera superior Resp.; ita hic inferior administratio peculiaris Respubl. censeri non potest. Cùm enim in Rep. summa potestas sit, ut ostendit antè tradita definitio; hic autem omnis summa Potestas penes eum sit, qui universi Imperii Reip. præsidet; profectò in Civitatibus & regio-

(a) lib. 3 Polit. cap. 15.

(b) Ubbo Emmius de Rebusp. Græc. in descriptione Reip. Achæorum

(c) cap. 2. 13 & seqq.

(d) de Rep. Helvet. lib. 2. cap. 4.

(e) lib. 3. Polit. cap. 9

(f) de jure belli & Pacis lib 1. cap. 3. n 7.

gionibus ad eum modum Superiori subditis peculiaris Reip. species satis modica erit. Itaque quamvis magistratus Romani, qui provincias regebant, universalem quandam omnium rerum civilium potestatem haberent; quippe qui omnium Romæ magistratuum vice & officio fungerentur. (a) revera tamen provinciæ ne videri quidem poterant peculiares societates Civiles; sed erant, ut loquitur Grotius, (b) *membra minus digna magnæ Civitatis, quemadmodum servi membra sunt familiæ.* Municipia autem & fœderatæ Civitates libertatis quidem imaginem quandam habebant; unde etiam nomen illis tribuebatur Reip. (c) ficte tamen potiùs, quàm in rei veritate. Privatorum enim loco habebantur. (d)

(a) l. 12 ff. de offic. Præsi.
(b) de jure Belli & Pacis lib. 1. cap 3 n 7.
(c) t. t. C. de jur. Reip. lib. 11.
(d) l. 16 ff. de Verb. sign.

IIX. Denique tertium genus inter duo priora interjectum est; quando diviso quodammodo inter summam & inferiores Resp. civili imperio, illa quidem ea, quæ ad communem omnium, hæ autem, quæ ad singularum regionum salutem pertinent, guberbant. Et ad hunc quidem modum nostri se habet Imperii administratio: nec ullum, vel non æquè perfectum exemplum aliud extat; quò sanè respicit Thuanus, (e) *Huic*, inquiens, *Reip. Germanicæ ex tot Principibus tam in Germaniâ, in quâ, uti explicavimus, jurisdictioni Imperiali subsunt, quàm extra Germaniam ad Imperium pertinentibus, tot Civitatibus, addo etiam fœderatis populis composita, quid in omni antiquitate conferri poßit, non video.* Factâ deinde comparatione cum Amphictyonum consessu & Achæorum concilio, *Verùm hæc*, addit, *cum Germaniâ comparata quasi musca ad Elephantem.* In hujusmodi igitur administratione duplicis Reip. superioris in universo Imperio, & inferioris in singulis regionibus, satis justa facies apparet. Nam Imperator unà cum Senatu Imperii Ordines, ipsi autem Ordines singulos homines privatos sibi subjectos habent. Unde vulgata distinctio est inter cives Imperii mediatos, ut vocant, & immediatos. Ordini igitur civium etiam ordo Rerump. respondet. Hinc etiam fluit ratio differentiæ inter Civitates Principum provinciales & Imperiales. Hæ enim propter αὐτοκρατίαν, quâ pollent, jure peculiaris Reip. censentur. Illæ autem, quanquam splendore & opulentia Imperialibus sæpe non cedant, quoniam tamen potestate illâ destituuntur; æquè ut olim municipia Romana, privatorum loco habentur, (f) & instar civium pri-

(e) lib. 2. histor.
(f) Gall. 1. obs. 57. in fin.

vato-

vatorum, subjectæ sunt illi Reip., quæ in tota ditione Principis consistit.

IX. Quanquam autem nec Ordines Imperii in administratione ditionum suarum habeant planè liberam & Summam Potestatem: nihilominus potestas eorum adeò universalis & ampla est, ut trahere aliquid è Summâ Potestate videatur. Est igitur Summæ Potestatis genus quoddam analogum, (a) quod & nomen arguit. Superioritas enim Territorialis vulgò vocatur. Superioritas autem simpliciter dicta Summa Potestas civilis intelligitur. (b) In Principibus autem nostris non simpliciter Superioritas, sed cum adjectione Superioritas Territorialis vocatur. Adjectio igitur verbi Territorialis deminutionem quidē Summæ Potestatis sub indicare videtur: hoc tamen colligere inde licèt, & si genus sit Summâ Potestate inferius, satis tamen ei propinquum esse. Eodemque tendit illud nimis tritum axioma: Tantùm posse quemlibet Principem in territorio suo, quantum Imperator in universo Imperio; de quo infrà dicetur. Quoniam igitur potestas Principum, Ordinumque Imperii, quâ territoria administrant, analogiâ quâdam Summæ Potestati Civili respondet; sequitur rationem administrationis istius eodem modo Remp. censendam.

(a) Carpz. de leg. Reg. German. c. 1. sect. 13. n. 3

(b) Instrum. Pac. Cæsar. Gallic. §. Itemque dictus.

X. Jam non potest ampliùs esse obscurum, quâ methodo jura Superioritatis Territorialis investiganda sint. Nimirum ex analogiâ jurium Majestatis (sic enim hodie vocant Summam Potestatem Civilem) spectanda sunt. Species enim analogicæ ex principalis generis comparatione cognoscuntur. Utendum autem est methodo, quam in ejusmodi rebus, quæ generis sui species imperfectiores sunt, præscribit & observare solet Aristoteles; (c) ut perfectissimi nimirum generis naturâ ob oculos positâ, quantùm imperfectiores species inde recedant, quidque iis desit, spectemus. Considerandum igitur, quam jura territorialia propter superius Imperatoris Imperium deminutionem ac restrictionem patiantur, quò minùs pro plenis Majestatis juribus haberi possint. Ad hanc sanè methodum nos manuducere videntur, qui Imperium hodie scissum, & jura Imperialia quodammodo divisa in Duces & Barones esse tradunt. (d) Quâ igitur ratione singula divisa sint, quid Principibus, Ordinibusque cæte-

(c) lib. 3 Polit. cap. 1.

(d) Gylman symphor. supplic. to. 2. part. 2. vot. 5. n. 28

cæteris cesserit, quid Imperatori & Imperio reliquum manserit, considerandum. Quoniam autem divisio ejusmodi sine dubio non temerè, sed certis ex causis facta est; ad causas has investigandas, alio facto principio, res aliquantò altiùs repetenda, & de fine & constitutione cùm magnorum Imperiorum in genere, tum verò nostri in specie Imperii aliquid præmittendum est.

XI. Quanquam Aristoteles Civitatem beatam, cujus ipse formam quandam describere conatur, mediocri quâdam magnitudine definiat, ex causis, quas ipse latiùs exponit; (a) haud levibus tamen rationibus ostendi potest, multa adhuc deesse Civitatibus ejusmodi mediocribus, quò minùs ad statum beatitudinis pervenire possint, & propterea ad hos defectus supplendos, in latiorem quandam societatem iis coëundum esse. Nam primò Civitates istæ sibi relictæ perpetuis bellis inter se conflictabuntur, mutuis lacessitæ injuriis & offensionibus. Exemplo sunt Civitates Græciæ, de quibus Justinus: (b) *Graciæ*, inquit, *Civitates, dum imperare singula cupiunt, Imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire, quod singula amitterent, nonnisi oppressa senserunt.* Quod si autem Civitates in commune aliquod Imperium coalescant, controversiæ inter ipsas exortæ longè rectiùs judicio sopientur. Deinde metuendum est, ne in ipsis Civitatibus seditiones & factiones quædam exoriantur, quæ pessundent Reip. statum. Non facilè enim institui potest Resp. adeò firma, ut ab omni motu libera sit. Quod si autem Civitates Imperio alicui subjectæ sint, metu Superioris quiescunt, à quo coerceri possunt illi, qui in Republ. aliquid innovare cupiunt. Magnarum autem Civitatum statum longè esse tranquilliorem, quàm parvarum, ipse notat Aristoteles. (c) Denique sunt etiam nonnulla negotia, quæ conjunctis plurium opibus longè feliciùs, quàm unius mediocris Civitatis auspiciis expediuntur. Ejusmodi certè sunt, quæ ad rem bellicam & commercia pertinent; item alia nonnulla, ut infrà ostendetur. Quanquam autem hæc inter Civitates liberas fœderibus videantur procurari posse; quoniam tamen fœdus res fragilis est, juxta vulgatum illud, *Bonum est facere fœdera, sed væ illi, qui servat*: manifestum est, per fœdera nondum satis cautum esse, sed societatem instar Reipubl. constituere, longè esse

(a) lib. 7. Polit. cap. 4.

(b) lib. 8. histor.

(c) lib. 4. Pol. c. 11.

esse consultius. Quæ igitur ad propriam & genuinam hujusmodi Reip. potestatem pertineant, ex fine ejus colligendum est. Finis autem in administratione illarum rerum consistit, quas enarravimus. Huic igitur potestas ut respondeat, necesse est.

XII. Cætera inferioribus Rebusp. commodè relinquuntur. Nec enim ita numerosus aliquis populus in Imperium aliquod conflari potest, quasi in unum urbem compingeretur. Mera enim confusio fieret; & Imperium mole suâ immobile foret. Quemadmodum igitur domesticæ societates componunt Ciuitatem, ita tamen, ut ipsæ nihilominus per se subsistant; ita & Civitates in Imperium aliquod congregantur, ut tamen & ipsæ invicem separatæ maneant. Non enim quæ vitæ civilis necessitas desiderat, per universum aliquod Imperium rectè curari possunt, sed per minores quasdam consociationes civiles administranda sunt; id quod satis evincunt argumenta Aristotelis, quibus probat, Civitatem mediocri magnitudine esse debere. (a) Quæ igitur ita se habent, ad inferiorum Rerump. magis, quàm summi Imperii finem & potestatem pertinent. Unico exemplo hoc demonstrasse sufficiat. Crimina, veluti furta, adulteria, & id genus alia ut puniantur, magis singularum provinciarum vel civitatum, in quibus committuntur, interest, (b) quam universi Imperii. Non enim adeò universum Imperium, quam singulas provincias lædunt. Non etiam inquisitio criminum æquè benè per universum Imperium, quàm in singulis provincijs, vel civitatibus fieri potest Cognitio igitur de criminibus talibus non ad summum Imperium, sed ad inferiores Respubl. spectat. At belli alia ratio est. Hoc enim & communem totius Imperii securitatem tangit, & unius provinciæ vel civitatis vires excedit. Ergo hæc potestas ad summam Imperii Remp. spectat.

(a) lib. 7. polit. cap. 4

(b) arg. l. 13. ff. de off. præs.

XIII. Quanquam igitur hæc ratio inter summum Imperium & inferiores Respubl. dividendæ Potestatis Civilis iniri commodè possit, ut cuique ea pars assignetur, quæ administrari ab eâ melius potest, & fine ejus comprehenditur: vix tamen pauca ejus exempla extant. Quoniam enim omnium Imperiorum finis non est idem, nec una omnibus conveniens Respubl. dari potest. Plerique igitur Reges, vel Respubl. superiores non concedunt sibi subjectis Civitati-

tatibus αὐτονομίαν aliquam, sed omnem summam Potestatem sibi sumunt, precariâ tantùm administratione inferioribus magistratibus relictâ. Nostrum autem Imperium ad distinctionem illam Summæ & inferiorum Rerump. collimare videtur. Nam non omnis administrationis civilis potestas penes Universum Imperium residet, sed magnâ ex parte ad minores quasdam Regiones contrahitur. Nec obstat, quòd pleræque istarum regionum non exactè sint ejus magnitudinis, quâ Aristoteles beatam suam Civitatem circumscribit. Nam doctrina illa, utut ad contemplationem eximia sit, ad usum tamen rerum non æquè valet. Hoc igitur non impedit; quò minùs in singulis Regionibus peculiaris quædam Civilis societas constituta intelligatur.

XIV. Jam igitur quærendum est, quid moverit Principes, Ordinesque Imperii, ut, licèt suam singuli ditionem peculiaris instar Reip. regere cœperint, nihilominus coluerint adhuc Majestatem Imperii, & sub communi aliquâ rep. conjuncti manserint. Enimvero *mirum*, verba sunt Thuani, (a) *tot potentes populos, non vicinorum metu, aut ullâ necessitate adductos, in hanc status formam consensisse, & semel acceptam per tot seculâ tam constanter retinuisse, ut nullum robustius corpus, si et ex debilibus plerumque membris conflatum, si singulos spectas, aut hodie sit, aut olim fuisse, homines meminerint.* Causas hujus rei si quæramus, nullæ se offerunt aliæ, quàm quas paulò antè enarravimus, ubi ostendebamus, quare Civitates mediocres in latius aliquod Imperium colligendæ sint. Facilè enim intellectum est, non sufficere singulos Ordines, ad ditionum suarum statum rectè constituendum & conservandum. Nam quis rerum status futurus esset, si plane rupto Imperii vinculo, quilibet Ordinum suo arbitratu remp. administraret, non potest esse obscurum. Sine dubio enim dum alter alterum opprimere conaretur, in mutuum omnes exitium ruerent; id quod Civitatibus Græciæ accidisse, paulò antè diximus. Ut igitur Ordines Imperii & inter se pacati, & ab externâ vi tuti essent; ut & subditi erga Principes, & hi rursus erga illos in officio continerentur; denique ut conjunctis opibus & consiliis expedirentur illa negotia, quæ singulorum Ordinum vires superant, vel non æquè bene in singulis provinciis, quàm Universi Imperii autoritate

(a) lib. 2. histor.

ritate administrari possunt; his, inquam, ex causis semper hactenus aliquam Imperii Rempubl. retinuimus, licèt vehementer sæpe vacillaverit. Intellecto igitur fine Imperii nostri, quid ad officium & potestatem ejus spectet, non potest ampliùs esse obscurum. Consistit nimirum in administratione rerum, quas recensuimus. Cœtera, quæ ad vitam civilem necessaria sunt, in singulis provinciis ordinanda sunt; eaque ad Superioritatem Territorialem pertinent.

XV. Verùm hîc notandum, quanquam Imperio nostro fines illi propositi sint, quos diximus, multa tamen ei deesse, quò minùs eos assequi possit. Non uno enim defectu laborat Resp. Imperii. Præcipuus est, quòd decrescente superioribus seculis auctoritate Imperatoris, vis legum & judiciorum enervata sit. Imo adeò laxatum est Reip. vinculum, ut parum abfuerit, quin in eum statum redigeremur, quo hodie Italia est; ubi distractâ planè Republ., quilibet sibi, nemo in commune consulit, nisi cùm vel libido stimulat, vel necessitas cogit, ut in factiones coëant. Respiravit quidem nonnihil Respubl. Imperii nostri seculo xv., & imprimis sub Maximiliano I. multorum sanè utilium institutorum fundamenta jacta sunt, judicio Camerali, Regimento, & Circulis institutis. Verùm subsecuto statim religionis dissidio, status Reip. nondum satis validus, denuò convulsus est; quo factum, ut instituta illa vel disturbata planè, vel quò minùs perficerentur, impedita sint. Quanquam autem Pace religioni datâ, iterum nova lux affulserit; non tamen ita exactè sanari potuit vulnus, quin nævi & cicatrices quædam reliquæ manserint. Cœterùm hæc pleniùs explicare non est nostrum, cùm non Imperii, sed inferiorum Rerump. statum exponere nobis propositum sit. Monenda tamen necessariò hoc loco fuerunt, quoniam multorum, quæ deinceps sequentur, principium continent. Pro ratione enim status Imperii, statum etiam Inferiorum Rerumpubl. aliter atque aliter se habere necesse est. Quoniam igitur Respubl. Imperii ita constituta non est, ut officio suo fungi, & ea, quorum gratia constituta est, efficere possit; non pauca in singulis regionibus curari necesse est, quæ per Imperium rectiùs administrarentur. Quæ enim ab Imperio negliguntur, ab ipsis Ordinibus seorsim, quomodocunque possunt, expedienda sunt.

XVI. Ut hoc aliquantò specialiùs exponam; sunt, exempli gratiâ, negotia, quæ Summâ Civitatis Potestate explicantur, duorum generum: alia ad exteros respiciunt, veluti fœdera & res bellica; alia ipsam Civitatem in se spectatam concernunt, veluti Leges & judicia inter privatos. Priora magis ad summam Imperii Potestatem spectare videntur, quàm ad territoriorum administrationem. Hæc enim communem salutem & securitatem tangunt: sine dubio etiam multò feliciùs totius Imperii, quàm unius Principis viribus & autoritate tractantur. Quoniam tamen Resp. Imperii non ita constituta est, ut per eam securitati nostræ satis prospectum sit, utique & fœdera Ordinibus Imperii permittenda sunt, & connivendum ijs interdum, si adversus exteros arma expediant. Non tamen hæc, quemadmodum planè liberorum Principum bella, solo jure gentium, sed etiam constitutionibus quibusdam Imperii reguntur, ne Imperió vel alii Civi cuidam Imperii damno sint. Infrà hæc latiùs explicabuntur: nunc exempli tantùm gratiâ adduxi.

XVII. Negotia alterius generis, quæ Civitatem in se spectatam concernunt, iterum duorum generum sunt. Quædam enim generalibus ac perpetuis legibus definiri possunt; quædam verò variè se habent, & consiliis, judiciis vel etiam legibus ac statutis particularibus meliùs expediuntur. Itaqu. illa quidem per Imperium, hæc per singulas Regiones rectiùs curantur. Hinc multa Ordinatione Criminali, Politicâ & aliis constitutionibus Imperii sancita sunt, quæ ipsarum Regionum Imperii administrationem concernunt. Alia contrà arbitrio Ordinum relinquuntur. Quod autem de priori genere dictum, hîc quoque locum habet. Quæ enim per Imperium definita non sunt, vel definiri non potuerunt, de iis singulos Ordines statuere oportet. Exemplum habemus in jure reformandæ religionis. Si enim, quod optandum, Imperium in religione concors esset, singulis Ordinibus Ius Roformandi concedere, nec opus, nec consultum foret. Positâ autem hâc hypothesi, quod ab Imperio hæc controversia decidi non potuerit, quis alius exitus, quàm ut singulorum conscientiæ liberum relinquatur, ex Religionis controversæ partibus alterutram eligere?

XIIX. Ut igitur, quæ hactenus dicta sunt, in summam contra-

traham: apparet jura Superioritatis Territorialis duorum generum esse. Alia enim per se talia sunt, quæ in iis rebus consistunt, quæ non æquè commodè per Universum Imperium, quàm in singulis regionibus constituuntur, veluti judicia, magistratus, statuta & id genus alia. Alia autem ex suppositione talia sunt, quæ ob defectum aliquem Reip. Imperii, vel aliam talem necessitatem Ordinibus Imperi i singulis permittenda sunt, cùm aliàs meliùs per Imperium administrarentur. Addendum tamen, quantacunque in his sit Ordinum potestas, non tamen eam planè solutam ac liberam, sed jure ac legibus adstrictam esse. Legum autem illarum custodia penes Imperatorem & Imperium est. Quâ in re differentia est inter Civitates sui juris, & Superiori subjectas. Etsi enim in istis etiam Imperantibus leges quandoque præscribantur: custodia tamen earum penes ipsam Civitatem est. Si igitur Princeps, qui Superiorem non agnoscit, jura ac leges violet, vix ullum remedium suppetit, quò in ordinem cogatur. Itaque tunc seditiones oriri solent. In nostro autem Imperio querela ad superiorem deferri potest. Cùm enim ad Summi Imperii curam spectet, operam dare, ut Regiones subjectæ in se tranquillæ & pacatæ sint; providendum ipsi erit, ne Imperantes potestate abutantur, vel subditi obedientiam detrectent.

XIX. Sic igitur Universi Imperii & Regionum particularium administratione distinctà, qnid, quantumque ex juribus Majestatis Ordinibus Imperii in ditionum suarum regimine competat, & quibus ex causis competat, generaliter dictum est: atque inde, qualis potestas sit Superioritas Territorialis, intelligi potest. Ut autem clariora hæc fiant, per partes explicanda sunt. In promptu enim nunc erit, controversias, quæ circa hanc materiam, occurrunt, ex his Principiis decidere. Antequam autem ad partes Superioritatis Territorialis explicandas progrediamur, quid alii eâ de re scripserint, recensebimus. Haud parùm enim hæc confirmant ea, quæ hactenus diximus.

DE SUPERIORITATE TERRITORIALI, EJUSQUE PARTIBUS.

I. Primò repetimus, quod suprà posuimus, Superioritatem Territorialem ipsius Summæ Potestatis genus quoddam analogum esse. Difficile autem esse, de Superioritate Territoriali aliquid scribere, cùm non legibus definita, adeoque jure scripto incognita, sed solis moribus introducta, varieque usurpata sit, ex Gylmanno, Meischnero & aliis refert Wehnerus(a). Nimirum etiam ipsa jura Majestatis obscura, cognitu difficilia, &, ut Bodinus censet (b), parùm explicata sunt: quantò magis jura Superioritatis Territorialis, quæ illis analogiâ quâd. respondent? Quippe in generibus analogicis exponendis versari, cum summâ difficultate conjunctum est. Variè enim se habent, & hominum dissensionibus hinc inde trahuntur; dum ea alii sub genere primario comprehendunt, alii longe indè abire putant (c); quod certè nostræ materiæ contigit. Alii enim Principibus Germaniæ Majestatem quandam tribuunt; quod alii contrà graviter reprehendunt [d]. Quoniam igitur Ordines Imperii non habent plenam Majestatem in ditionibus suis regendis; sed partem satis magnam Imperator & Imperium sibi vindicant; hæc invicem connexa Imperialia & Territorialia jura distinguere, non potest non esse difficile. Atque hæ sunt hujus difficultatis causæ, non illa, quam Autores paulò antè laudati assignant, quòd Superioritas Territorialis non jure scripto, sed moribus introducta sit. Multa enim moribus introducta satis clara sunt. Sed videamus ipsas Doctorum opiniones.

II. Duas tanquam præcipuas refert Wehnerus [e]. Primò enim nonnulli Superioritatem Territorialem maioribus Regalibus annumerandam censent, adeoque promiscuè vulgò sumuntur Regalia & Iura Territorii [f]: quod fortassis non improbandum tantopere, ut nonnulli putant [g]. In ipsis enim constitutionibus Imperii hic modus loquendi reperitur [h]. Sunt autem maiora Regalia,

(a) in obs. pract. verb. Landes Fürstliche Obrigk.

(b) lib. 1. de repub. c. 10.

(c) Arist. l. 3. polit cap. 1.

(d) Bodin. dict. c. 10. lib. 1 de republ.

(e) dict. ver. Landes Fürstliche Obrigk.

(f) Reink. de reg secul & eccl lib 1 clas. 4 c. 16. n. 45.

(g) Sixt. 1. de rega. c 1. n. 18.

(h) *Reformation* guter Policey zu Augspurg *anno 1548. §. pen. ibi:* hiedurch einer jeden Obrigkeit/ so Regalien von uns und dem H. Röm. Reich hat.

Iura Regia, quæ in universâ Reipubl. administratione consistunt. Eò enim referuntur potestas Belli & Pacis, fœderum, vectigalium & tributorum, Legum condendarum, magistratuum constituendorum & id genus alia, de quibus infrà dicetur. Hoc igitur dicere volunt hujus sententiæ autores, habere Principes Imperii in omnibus hisce rebus potestatem aliquam. Nihil hoc aliud est, quàm quod antea diximus, habere eos analogiâ quâdam jura majestatis.

III. Altera opinio est eorum, qui Superioritatem Territorialem nihil præter omnimodam jurisdictionem, vel merum ac summum Imperium denotare censent (a). Unde vulgò jurisdictio territorialis vocatur. Quanquam autem hi minus dicere videantur, quàm priores; potest tamen hæc quoque sententia tolerari, si dextrè explicetur. Non enim, quemadmodum jure Romano, pro potestate juris reddendi tantùm, sed generaliùs hodie pro omni potestate regendæ reipubl. jurisdictio accipitur (b). Ita sanè accipiunt, qui hujus tituli inscriptione fere universum ius publicum explicant. Eâdem significatione etiam Grotius utitur (c), cùm bellum publicum definit, *quod auctore eo geritur, qui jurisdictionem habet.* Similiter merum imperium à nonnullis latiùs extenditur, quàm jure Romano, quo potestatem gladii significat, (d) receptum est: quo sensu Bartolus (e) primum gradum meri imperii constituit potestatem Legum ferendarum. Eodem pertinent notata apud Meischnerum: (f) *Non posse separari merum imperium à Superioritate Territoriali, eò quod omnes juris interpretes nonnisi unum merum & summum imperium noverint, idq; in suas species dividant:* ubi addit, in persona Principis merum Imperium & Superioritatem Territorialem unum idemque esse, die Hohe und Landes-Fürstliche Obrigkeit sey ein Ding. Sic igitur horum quoque Autorum opinio eò tendit, Superioritatem Territorialem universalem quandam Reipubl. Potestatem denotare. Dominos enim territoriorum non vulgarem quandam, sed ferme majestaticam jurisdictionem habere tradunt (g). A prioribus igitur verbis, non re dissentiunt. Utramque opinionem conjungere videtur Reinkingius (h), quem secutus Limneus (i) Superioritatem Territorialem definit, quod sit *Ius summi post Imperatorem Imperii, eique connexorum Regalium, in omnes territorio subditos, supremi ex concessione* Prin-

(a) Wehner d. loco.
(b) Matth. Steph. d. jurisd. l. 1. c. 1. n. 12. Thom Michael de jurisd. concluſ 11.
(c) l. 1 d. jur. Bell & Pac. cap. 3 n 1.
(d) l. 3 ff. de jurisd.
(e) in d. l. 3. d jur. n 6.
(f) tom. 2. part. 1 dec. 8. n. 2.
(g) Matth. Steph. de jur. l. 2 part 1. c. 7. n 31.
(h) de regi. sec. & eccl. lib. 3 clas. 5. cap. 3. n. 3.
(i) de jur. publ. lib. c. 8. n. 183.

principis quaesitum, aut usu longaevo obtentum. Haud longe indè abit aliorum definitio, quod sit *protectio, defensioq́, ratione iurisdictionis, seu gubernationis territorii universalis* (a). Omnia eò tendere videmus, quòd Superioritas Territorialis Imperium quoddam universale sit, omnia ea, quae ad Civile regimen pertinent, complectens, omnium Summâ tamen Potestate aliquantò inferius.

(a) Thom. Michael de jurisd. côcl. 44. lit. d.

IV. Nos igitur ad doctrinam Politicam de Summâ Potestate Civili progrediemur, & secundum eam Superioritatem Territorialem considerabimus. Omissis autem iis, quae Scriptores Politici moderni tradiderunt, Aristotelem sequemur. Is igitur tres esse partes docet, in quibus summa Reipubl. consistat; primam, quae potestatem habet deliberandi & statuendi de rebus ad communem Civitatis salutem pertinentibus, de bello verbi gratiâ, pace, foederibus, legibus, & id genus aliis, quàm partem Senatum vocat: altera in magistratibus, tertia in judiciis consistit. Sed audiamus ipsum. (b) *Omnium,* inquit, *Rerumpubl. tres particulae sunt, quarum quid cuique expediat, bonum scriptorem legum diligenter attendere & considerare oportet: quibus particulis benè affectis, Rempubl. benè affectam esse, & pro uniuscuiusque harum partium differentiâ, Reip. administrandae formas inter se differre, necesse est. Harum autem partium una quaedam est, quae de Republ. consultat; altera, quae in magistratibus versatur, hoc est, quos magistratus esse, & quarum rerum potestatem eos habere, & qualem eorum electionem esse oporteat; tertia ad judicia pertinet.*

(b) Arist. l. 4. Pol. c. 14.

V. His igitur Aristotelis vestigiis insistentes, Superioritatem Territorialem secundum tres illas partes considerabimus. In primâ parte, quae Senatus Aristoteli vocatur, spectanda sunt negotia maximi momenti, quae in Rep. in deliberationem veniunt. Enarrantur autem ab Aristotele partim in Politicis [c], partim in Rhetoricis (d), unde nos praecipua hauriemus, eaque hoc ordine explicabimus, ut primò ea, quae extra civilem societatem ad finitimos vel exteros respiciunt, consideremus, veluti sunt bellum & custodia regionis, commercia externa, vel, ut Aristoteles loquitur, importanda & exportanda, denique foedera. Haec enim plerumque, vel belli, vel commercii causâ fiunt. Deinde negotia, quae intra ipsam Civilem societatem terminantur, spectabimus; qualia sunt legumlatio, quò religionis

(c) l. 4. c. 14.
(d) lib. 1. c. 6.

nis

nis etiam potestatem pertinere ostendemus; item deliberatio de reditibus publicis, imprimis de tributis colligendis; quo loco de jure monetæ cudendæ aliquid addemus, ex causâ, quæ ibi dicetur. Hæc negotia de quibus publicè deliberari solet, præcipua sunt. Sic iis, quæ ad Senatum, tanquam primam reip. partem, pertinent, enarratis, ad duas reliquas partes, magistratus & judicia transeundum est. Quanquam autem Aristoteles (a) potestatem vitæ & necis, exilii & publicationis bonorum, quæ jure Romano merum Imperium vocatur, ad primam partem, quæ summis deliberationibus præest, referat nos tamen hâc in re Iurisconsultos secuti ad locum, quo de judiciis ac jurisdictione agetur, hoc referemus.

VI. De bello igitur primo loco quæramus. Haud satis enim liquet, quantam ejus Principes ac Ordines Imperii potestatem habeant. Alii antiquas leges Romanas in ore habent, quibus, qui injussu Principis bellum gesserit, delectúmve habuerit, exercitum comparaverit, majestatis reus est [b]. Alii Principibus etiam, qui sub Imperatore sunt, belli indicendi potestatem tribuunt [c], & Germaniæ Principibus antiquâ libertate milites in propriam, aliorumque salutem conscribere licere contendunt [d]. Constitutiones Imperii obscuriùs rem definiunt, nec cum factis consentiunt. Historiæ autem facta, non jura docent. Sed capita quæstionis, cum alia aliis plus dubitationis habeant, distinguenda sunt.

VII. Primò enim si vis subita ingruat, dubium non est, quin pro se quisque Ordinum arma expedire, & periculis occurrere possit. Nam etiam magistratibus, qui ex superioris imperio planè dependent, si eum consulere tempus non ferat, ex præsumtâ quâdam illius voluntate, populum sibi creditum bello tueri possunt [e]. Sed nostri Principes suo jure hoc faciunt, non ex alienæ voluntatis conjecturâ. Hinc protectio inter jura superioritatis refertur [f], & à quibusdam, ut suprà audivimus, in definitione ponitur, tanquam præcipuus Imperii Territorialis nervus. Ipsæ adeò constitutiones Imperii Ordinibus Imperii injungunt, ut ita quisque in Regione suâ sese instruat, quò adversus violentiam improvisam tutus sit, & aliis subsidio esse possit. [g] Das ein jeder Churfürst/ Fürst und Stadt in guter Bereitschafft sitze/ auch in seinen Fürstenthumen/ Landen/ Herschaff/ aber etc.

(a) dict. l. 4 Polit. c. 14.

(b) l. 3 ff ad leg jul maj. Gail. 1 de pace publ. cap. 4. n. 4.

(c) Ant. Fab. cons. de ducat. Mont. part. 2 p. 54

(d) Warem. ab Ehrenb. 1 de fœder. cap. 6. n. 56.

(e) Grot de iure bell. & pac. lib. 1. cap. 3. n. 4.

(f) Reink. d. reg. secul & eccles lib. 1. clas. 5. c. 4.

(g) R. A. zu Augs. anno 1555. § Nach dē

schafften / Oberkeiten vnd gebieten solche embsiche vorsehung thue / daß Er und die Seinen dannech dermassen gefast / damit sie sich unversehens überfals selbst etwas zu entschütten. Hactenus res dubio caret.

IIX. Quid autem, si res moram patiatur, & tractum temporis desideret? si non tam de vi illatâ, vel ingruente repellendâ, quam de rebus repetendis & injuriis vindicandis agatur? Iterum distinguendum, an Civibus Imperii inter se, an cum exteris controversiæ intercedant. Prius quæstionis membrum non videtur habere dubium. Inter unius enim ejusdemque Imperii Cives lites non bello, sed judicio disceptandæ sunt. Quâ enim aliàs ratione sub Imperio consociati sunt. Si tamen superiora tempora respicimus, bella inter Cives Imperii non videntur usque adeò illicita fuisse. Quid enim illis frequentiùs legitur in omni historiâ nostrâ. Causa autem est imbecillitas Reip. nostræ, quam suprà indicavimus. Labefactatâ igitur autoritate Imperatoris, maximè sub diuturno illo interregno, quod seculo XIII. audit, tanta invaluit armorum licentia, ac si nullâ ampliùs Rep. contineremur [a]. Modò enim indictionis, quàm diffidationem vocant, solennitas servaretur, iusto, pioque bello certari posse, vulgò persuasum fuit [b]. Et quamvis quandoque Pax publicâ lege Imperii sanciretur; non tamen perpetua fuit, sed certo tantùm annorum spatio definita, ut induciarum similior, quàm pacis videretur. Sic Friderici illa Constitutio de pace tenendâ, quæ libris feudorum inserta est, [c] Cujacii opinione annalis tantùm fuit. Constitutio pacis Rudolphi Imperatoris, quæ apud Lehmannum extat [d], ad annos tantùm tres valuit. Eundem morem servarunt sequentes Imperatores. Decem anni, quibus Wenceslaus pacem sancivit [e], penè longius tempus videntur, quàm istius seculi mores patiebantur. Ipsum pacis vocabulum dissolutæ quodammodo Reipubl. indicium est. Significat enim statum, non qualis inter unius cives Imperii, sed qualis inter gentes discretas, nulli superiori subiectas intercedit. Imò ne tantam quidem vim habebant constitutiones illæ pacis, qualem habere solent, quæ inter liberas Gentes & Reges componuntur. Non enim omnia bella, sed frivola tantùm & injusta, seu ut Aurea Bulla loquitur [f], *universas ac singulas guerras, litesq; injustas*, prohibens.

(a) Lehman Chrō Spir. lib. 5. c. 86.
(b) Nic. Cus de concord Cathol lib. 3 cap. 31.
(c) 2. feud 27. & ib. Cuiac
(d) l. 5 Chrō Spir. c 105.
(e) Lehman l. 7. Chron. Spir. c. 63
(f) t. 17 de diffidationibus.

bent. Imprimis seriò cavent, ne absque solenni indictionis ritu quisquam infestetur, quasi hâc cæremonia omnis belli iniustitia expietur. Constitutio Rudolphi paulò antè allegata ita habet: Schwer aber sine Klage vollführet/ als davor geschrieben ist/ wird jhm nicht gerichtet · und muß er durch noth sinen Vienden wieder sagen/ das sol er by Tage thun/ vnd von dem Tage/ daß er jhm wiederseit hat/ vnd an den vierten Tag soll er jhm keinen schaden thun/ weder an Leib noch Gut/ so hat er drie gantzer Tage Vride. Scilicet hoc modo bellum indicere ius fasque est. Clariùs adhuc hæc constituuntur Aureâ Bullâ Caroli IV. titulo de diffidationibus, & ampliùs declarantur Reformatione Francofurtensi Friderici III (a), quibus modus indicendi & gerendi belli (pudendum tanto Imperio!) præscribitur. Quoniam tamen postea meliùs constitui cœpit Resp., hic quoque nævus deletus est. Instituto igitur Camerali judicio, (nam judicia Imperii hactenus pessimè se habuerant) Maximilianus I. Pacem Publicam non temporariâ, ut Antecessores consueverant, sed perpetuâ lege sancivit (b). Quò autem vis inesset Legi, & refractarii in ordinem cogerentur, res bellica per Circulos ordinata: quod institutum anno CIↃ IↃ XII. cœptum, anno CIↃ IↃ XXII demum perfectum est (c). Hodie igitur quicunque cum altero actionem habet, ab armis abstinere, & jure tenetur experiri: secus qui faxit, violatæ pacis reus est (d), simul etiam manu militari per Ducem Circuli cohibetur (e). Hæc ad leges, quæ in Imperio nostro hâc de re constitutæ, intelligendas dicenda fuerunt.

IX. Adversus exteros quantam armorum licentiam Proceres Germaniæ olim habuerint, ex his, quæ de domesticis dissidiis dicta sunt, facilè colligi potest. Si enim civem Imperii injuriæ prætextu armis adoriri impune fuit, quid non erga exteros licuisse credamus? Enimverò bellorum non autoritate publicâ, sed privatis ordinum auspiciis susceptorum plenæ sunt omnes historiæ. Vel solius societatis Hansicæ exemplum huic rei satis testimonio esse potest, quæ cum potentissimis Regibus privato consilio, non consulto Imperatore, bellum non dubitavit aliquoties suscipere. Itidem autem Maximilianus I. & Ordines, cùm aliis Reipubl. morbis mederentur,

(a) Reform. zu Fraff. an. 1442. tit. das niemand dē andern beschäd. & 2 seqq.

(b) d. Kön. Landfr. zu Wor. anno 1495.

(c) Erkl. des Landfried. zu Nürenb. anno 1522.

(d) Kays. Landfr. zu Augs. anno 1548.

(e) R. A. zu Augs. an. 1555. §. uñ damit jtzgesetzt.

tur,

tur, hanc etiam promiscuam armorum licentiam frenandam putarunt, omnemque potestatem belli, sive ab Ordinibus Imperii, sive ab ipso adeò Imperatore moveretur, annuis comitiis, quæ tum instituta erant, adscripserunt (a). Verba ita habent: Auch sollen wir / vnd vnser lieber Sohn Ertzhertzog Philips / auch vnser Chur-Fürsten / Fürsten vnd Stände des Reichs / ohn wissen vnd willen jährlicher Versamlung / keinen Krieg oder Vähd anfahen. Cum deinde annuorũ comitiorum loco Senatus quidam perpetuus, Regimenti nomine, constitueretur, etiam belli pacisque potestas ad hunc translata est (b). Animadverti nimirum cœpit, quanti universæ Reipubl. intersit, ne bellum, ex quo non tantùm belligerantis ditio, sed vicinia etiam, totumque adeò Imperium in periculum venit, temerè à quopiam excitetur? Ex facto enim Civis ipsa Civitas quodammodo tenetur (c). Præterea verò si singuli Imperii Cives & Ordines belli habeant potestatem, quæ inter eos Respubl.? quæ Legum potest esse autoritas? Vel hoc ipso fine præcipuè Civitates minores in majus Imperium coaluisse diximus, ut non separatis, sed conjunctis armis & opibus communis securitas procuretur. Quod si cuilibet hâc in re sibi seorsim consulere licet, scopus ille evanescit, & Imperium enervatur. Itaque vel in illis societatibus, quæ non omnino civili conjunctione, sed arcto tantùm fœdere constant, qualem olim Achaicam, hodie Hollandicam esse suprà diximus, bellum nonnisi communibus fœderis auspiciis indicitur, demptâ hâc potestate societatis membris. Quantò magis in nostro imperio hoc fieri debebat.

X. Verum enimvero, utut hæc ita sint, sciendum tamen etiam est, non tantùm Principibus & Ordinibus Imperii bello interdici, sed ita potiùs Rempubl. constitui debuisse, ut singuli sub Imperii protectione tuti, privatis armis opus non haberent: quod cùm in Imperio nostro, vel factum non sit, vel hoc rerum statu fieri non potuerit, necessarium utique fuit, singulos sibi, quibus potuere rationibus, prospicere. Quanquam enim res bellica per Circulos ordinata sit: non tamen illi ita instituti sunt, ut non multa desiderare possis. Sunt equidem nonnulli autoritatis haud contemnendæ; nonnulli verò ita imbecilles, ut vix executionibus in Imperio faciendis pares sint, nedum

(a) Handhabung des Lādf. zu Wor. an. 1495 tit. die Kön. May. sol keinen Krieg anfahen.

(b) Ord. des Reg. an. 1500, tit. wie alle sachē bey dē König vor des Reichs Reg. gehādelt werden.

(c) Grot. de jur. bell. & pac. lib 2. c 21 n. 2 & seqq.

dum adversus vim externam præsidii aliquid inde sperare possis Imprimis si periculum aliquod gravius immineat, ut plurium Circulorum conjuncta opera requiratur (a), ibi verò sæpe hæret aqua. Exemplo potest esse expeditio conatu magis, quàm successu memorabilis, sub finem superioris seculi, cùm inde Hispani, hinc Ordines Fœderati Belgii terras Imperii infestarent, & loca munita vi expugnarent, ad arcendas injurias, & plusquam hostiles invasiones à Circulo Rhenano, Westphalico & Saxonico inferiori suscepta; *Cujus is exitus fuit, ut Principes* (verba sunt Thuani (b) *exercitum tumultuariò coegerint, & dum injurias acceptas ultum eunt, incertis ducibus & consiliis diu vagati, novam sibi ipsi injuriam fecerint, tanto conatu sine ullo operæ pretio evanescente.* Hic Reipubl. nostræ defectus sanè magnus, qui fortassis multis ex rationibus emendari haud facilè potest, præcipua causa esse videtur, quare lex Maximiliani suprà allegata, quâ omnis deliberatio de bello ad summam Imperii potestatem revocatur, accuratè semper servari non potuerit. Quò etiam respicere videntur illi, qui tunc maximè bellum suscipere licere Principibus scribunt, si Imperatoris copia haberi non possit, vel Princeps omni auxilio destituatur (c).

XI Quoniam tamen pacem publicam in Imperio, quomodocunque possumus, adhuc custodimus, ut saltem inter nos à nobismetipsis tuti simus, ne per vagam armorum licentiam communi securitati periculum creetur, cautelæ nonnullæ adhibendæ fuerunt. Nemini enim suis alienísve ditionibus militem conscribere, nisi consensu & voluntate Circuli illius Ducis, fas est, adeò ut, cui rei id faciat, eum doceat, simul etiam idoneè caveat, nihil se in Cæsarem, Principes & subditos Imperii moliturum, sed constitutiones Imperii per omnia servaturum (d). Sed & Imperatori expeditionis necessitas & ratio exponenda videtur. Si enim ipsi Circulorum Duces hoc facere tenentur (e), quantò magis alii Principes? Nonnullæ tamen constitutiones disjunctivè loquuntur, ita ut vel Imperatoris veniam & concessionem, vel necessariam & notoriam causam requirant (f), in quarum sensum nunc non libet inquirere. Denique hoc imprimis cavetur, ut transitus, si per alienas terras fiat, innoxius sit; manipulatim, non agmine fiat; milites suis sumptibus vivant; habi-

(a) R. A. zu Augs. an. 1555. §. Im Fall aber etc.

(b) Histor. lib. 121.

(c) Warem. ab Ehrenb. de Fœder. cap. 2. n. 56.

(d) R. A. zu Wor. an. 1564. §. nach dem Denaisius tit. Militū delectus.

(e) R. A. zu Augs. an. 1655. §. und solle in ober zehlten.

(f) Ord. cam part. 2. t. 15. R. A. zu Augsp. an. 1555. §. wo sie aber etc.

 tatori

(a) R. A. zu Speir an. 1342. §. es sollen auch. R. A. zu W. an. 1564. §. wiʒsetzen ordnen uñ wolle.

tatoribus ne molesti sint (a). Verùm hæc & id genus alia quomodo serventur, experientia docet. Dissidio enim quasi naturali silent inter arma leges, vel potiùs Marii illi præ strepitu armorum leges non exaudiunt. ——— *Achilles*

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Itaque bellum Legibus regere velle, res deplorata videtur. Armatæ enim cupiditates nonnisi contrariis armis cohibentur. Sic uno dato inconvenienti, plura sepuuntur.

XII. Quoniam igitur territoriorum Domini imperium quoddam militare habent, sequitur subditos ad delectum respondere obligatos esse, quòd jus sequelæ, & Germanicè die Folge vocatur. Ut enim Ducis est præire, sic militis sequi. Quòd significat vetus illa formula evocandi milites, *Qui vult salvam Remp. me sequatur* (b). Quemadmodum autem militia vel Civibus, vel Sociis imperator, sic etiam sequela vel jure subjectionis, vel pacti, fœderis, alióve speciali jure debetur. Cœteræ differentiæ ab aliis explicantur (c).

(b) Barnab. Brisson. de form lib. 4.
(c) Wehner in pract. obs. verb. Folge.

XIII. Ad hunc locum pertinet custodia Regionis, quæ etiam ad deliberationem & curam Summæ potestatis spectat (d), nec belli tantùm, sed & pacis rempore necessaria est. Consistit autem tum in milite quodam præsidiario alendo, tum in locorum opportunorum munitione, tum in apparatu quodam instrumentorum bellicorum, quo armamentaria instrui solent, quæ propterea ad Regalia referuntur (e). Esse igitur omnia hæc in Ordinum Imperii potestate, ea, quæ hactenus diximus, dubitare non sinunt. Imò, ut nostri quidem Imperii status se habet, adeò propria sunt Ordinum singulorum, ut Imperii nomine munimentum in ditione aliquâ extruere, vel extructo præsidium imponere, nonnisi lege Comitiis latâ liceat (f). Itidem tamen & hic cautiones adhibentur, ne sub specie propriæ Regionis muniendæ vicinis periculum creetur. Quemadmodum enim militum majorem copiam, quàm pro limite tuendo necessaria est, non licet conscribere, quia per hoc securitas publica læditur; nisi eâ de re Duci circuli cautum sit, ut paulò antè dictum est: sic munimenta ad æmulationem alterius non licet extruere (g). Fortassis enim possit quis haud aliâ causâ extruere arcem aut castellum aliquod, quàm ut vicinæ provinciæ quasi frænum quoddam imponat;

(d) Ar. Rhe. lib. 1 cap 4.
(e) 2. feud. 57 & ib. Dd.
(f) Instrum P. Cæsareo Suecic. cap. 8. n. 2.
(g) l. opus novum. ff. de oper. publ. Gail. 2. obs 69. n 17. Limn d. jure publ. lib. 4 cap. 8. n. 235.

ponat;

ponat; quod, cum pacem publicum turbet, permittendum non est. Itaque eo casu novum opus nunciatur, & in Camerâ Imperiali mandata inhibitoria, & de demoliendo impetrantur. Accidit autem, ut subditi etiam Ordinum Imperii, verbi gratia, Cômites, Barones, Nobiles, aut Civitates arces, vel alias munitiones possideant, supremo jure manente penes Territorii Dominum; cui proinde portas aperire, & cum necesse fuerit, præsidium ab eo accipere tenentur. Unde jus aperturæ vocatur, quod, quemadmodum de jure sequelæ diximus, itidem vel jure subjectionis, vel ex speciali pacto debetur (*a*). Hactenus de re militari.

XIV. Sequuntur inter negotia, quæ cum exteris intercedunt, commercia, quæ tanti æstimavit Aristoteles, ut inter præcipuas materias, de quibus publicè deliberari solet, has quoque numeraret (*b*). *Ad annonam autem*, inquit, *quod attinet; quanta illius copia, & cujus generis Civitati sufficiat, intelligendum: & qua illic nascatur, quaeque aliunde importetur: quarumq́ rerum aut exportatione egeant aut invectione, ut cum illis populis pacta conventionesque fiant.* Videtur autem hæc potestas inter Imperium & singulos Ordines quodammodo divisa esse. Non nulla enim hujus generis cum aliis Imperii constitutionibus, tum imprimis Ordinatione Politicâ statuta sunt [*c*], quâ alia importari in Imperii regiones, alia in peregrinas terras evehi vetantur. Pleraque autem ad Ordines, ut ea in ditionibus suis rectè curent, reiiciuntur. Præter hæc autem, quæ totius Imperii utilitatem spectant, Ordinum est, regionum suarum utilitati prospicere, non tantùm ne extra imperium aliquid evehatur, sed etiam ne exportatione annonæ, aliarumvé rerum in regiones vicinas, licèt Imperio subditas, necessaria suis ditionibus subducantur, vel inde superflua invehendo, opes privatorum exhauriantur. *Copia enim frumentorum*, ut inquit Cassiodorus (*d*), *debet provinciæ primum prodesse, cui nascitur.* Hæc igitur partim legibus perpetuis, partim edictis, prout quæque res incidit, constituunt. Quin omnia fere, quæ ad negotiationes & commercia externa pertinent suâ autoritate instituunt. Quid Dux Holsatiæ sumtuosâ illâ legatione Persicâ tentaverit, in recenti memoriâ est. Si tamen rectè perpendimus, ad Imperium potiùs hujus rei cura spectare videbatur. Debebat nimirum commercia

(a) Reink. de reg. sec. & eccl. l. 1. clas. 5. c. 4. Wehn. in. obs. pract. verb. Offnūg

(b) lib 1 Rh. cap. 4.

(c) Policeyord. zu Frankf. anno 1577. tit. 21 tit. 22 tit 24. t 34. R. A. zu Augsp. an. 1551. §. so haben wir etc.

(d) 1. ep. 34.

mercia autoritate publicâ dirigere, libertatem eorum tueri, eâque causâ legationes ad exteros Reges & Respubl. mittere, interdum etiam, si opus foret, jura gentium armis defendere. Sed quoniam Respubl. nostra non ita constituta est, ut hæc, quâ par erat diligentiâ, curare possit; (vix enim, quæ in medio posita, tuemur, nedum ad hæc longinqua adspiremus) iterum quâ parte Imperium deficit, singulorum Ordinum cura & officium succedit. Quoniam tamen unius Principis vel Civitatis potentia tantæ rei par non est, hinc fœdera inter se inire, & conjunctis plurium opibus ac studiis commercia tractare, necessitas coëgit. Hâc sanè causâ superiotibus seculis nobile illud fœdus Hansicum coaluit, & aliquandiu etiam floruit; nunc autem solâ nominis memoriâ superstes est. Quin autem autoritate publicâ res longè feliciùs cessissent, & ad diuturnitatem firmiores fuissent, non potest dubitari. Sed quoniam in ipsius Reipubl. visceribus longè graviora hærent ulcera, quæ prius curanda essent, defectus illos circa externa ne sentimus quidem.

XV. Cùm igitur ipsius materiæ series ac ordo ad fœdera nos perduxerit, quæ inter negotia cum exteris intercedentia, de quibus publicè deliberatur, tertio loco posuimus; quæ in his Ordinum Imperii potestas sit, considerandum est. Quæstio autem duplex est; prior de confœderatione Ordinum inter se; altera de fœderibus cum exteris. Quod priorem quæstionem attinet; vel ipsum vocabulum indicat, quid eâ de re dicendum esset, si omnia rectè se haberent. Fœdus enim societas est, quæ inter gentes nulli communi Imperio subjectas intercedit. Quin hâc maximè causâ Civitates in vasta regna & Imperia coaluerunt, ne fœderibus, quorum fides fallax nimis est, communia negotia procurare necesse haberent, sed ut Republ. hæc administrarent. Itaque si Respubl. benè constituta est, fœderibus non est opus. Licebit quidem, ut privatis in Civitate, sic Civitatibus & Principibus in grandiori Imperio societates inire, sed hæ alterius generis sunt, quàm fœdera, de quibus nobis quæstio est. Ubi autem Respubl. laborat, cum res in eum statum inclinet quodammodo, quo sunt liberæ gentes, utique fœdera necessaria sunt, ut pactis privatis securitatem nobis conciliemus, quàm jure publico non habemus. Nostra autem Respubl. quàm turbulenta superiori

ævo

ævo fuerit, quamque hodie sit imbecillis, antè indicavimus, ut vel solo hoc subsidio hactenus stetisse videatur. Multa enim tum vetera, tum recentia exempla fœderum, quæ vel Principes, vel Civitates inter sese, vel mixtim, ut res nostræ quidem se habent, magno tum ipsorum, tum Germaniæ totius bono contraxerunt (*a*). De primâ civitatem juxta Rhenum confœderatione Moguntiæ initâ meritò scribit Peucerus (*b*). *Profuit hoc exemplum posteritati. Similibus enim consiliis deinceps & malis publicis obviam itum, & multorum audaciam & molitiones repressas esse constat. Nec aliter se res communes habent, publicis periculis augescentibus.* Itaque nec ipsis legibus Imperii hæc fœdera improbantur, modo Imperio fraudi ne sint (*c*).

(a) Cranc. l. 8. Sax. c. 27. Lehm. l. 5. Chr. Spir. c. 92 Limn. l. 4 c. 8. n. 25
(b) l. 6. Chr.
(c) Aur. Bull. tit. 15.

XVI. Quod autem fœdera cum exteris attinet; nec eorum exempla desunt. *Memini*, scribit Bodinus [*d*], *quadraginta septem fœdera, quæ Reges nostri Philippus V. Carolus V. VI. VII. Ludovicus XI. cum Germanis Principibus coierunt, quibus se auxilio futuros adversus omnes, excepto Imperatore ac Rege Romanorum, spoponderunt.* Verùm Maximilianus I. cum hoc, emendato Reip. statu, diutiùs non tolerandum putaret, fœdera cum exteris imposterum inire vetuit, hâc additâ causâ, quòd id in perniciem Imperii vergere posset [*e*]. Sed non perseveravit in eo statu Imperium, in quem tum resurgere cœperat. Itaque nec Lex illa diu vim habere potuit, & hodie Transactione Osnabruggensi planè antiquata est [*f*], cujus verba perspicua sunt. *Cumprimis vero jus faciendi inter se & cum exteris fœdera pro suâ cuiusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuò liberum esto: ita tamen, ne eiusmodi fœdera sint contra Imperatorem, & Imperium, pacemque eius publicam, vel hanc imprimis transactionem; fiantque salvo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est.* Declamant contra hanc Ordinum libertatem multi; & exempla afferunt fœderum, quæ Imperio damno fuerunt. Verùm ut rem paucis complectar; optandum sanè esset, ita ut constitutam haberemus Rempubl., ut satis præsidii ab ipso Imperio haberemus, nec opus esset, cum exteris conjungi. Sed quoniam vinculum Reip. nostræ nimis laxum est, ut Imperii tutelæ firmâ satis fiduciâ inniti non possimus; instar secundæ navigationis est, exterorum ope securitati prospicere. Quemadmodum igitur medicina sano quidem corpori nocet, ægro autem ne-

(d) lib. 1. de republ. c. 9.
(e) R. A. zu Wor. an. 1495. tit. Die Kônigliche May. sol keinen Krieg anfahen.
(f) cap. 8. §. gaudeant.

necessaria est; sic fœdera illa cum exteris quasi emplastra quædam languidæ Reipublicæ censenda sunt; quibus, si illa recte constituta esset, abstinendum foret; hoc autem rerum statu necessaria sunt.

XVII. Negotiorum, quæ cum exteris tractantur, consequens est jus Legationis. Omnia enim concessa intelliguntur, sine quibus res illa explicari nequit, cujus potestas facta est [a]. Atque sic Intelligendum, quod scribit Grotius, [b] etiam illos jus Legationis habere, qui ex parte subditi sunt, ex parte non sunt, pro eâ parte, quâ non sunt subditi. Itaque quos Principes nostri ad exteros mittunt, non dignitate tantùm Legatorum censeri, sed etiam jure gentium sacrosancti esse debent [c]. Hactenus de negotiis publicis, quæ Civitati cum exteris intercedunt.

XIIX. Inter ea, quæ intra ipsam societatem terminantur, legumlatio locum facilè principem tenet: unde hæc facultas Aristoteli ἀρχιτεκτονικὴ vocatur [d]. Videtur autem hæc quoque potestas inter Imperii Rempubl. & Territoriorum administrationem divisa esse. Alia enim Legibus generalibus per universum Imperium, alia locorum statutis particularibus definiuntur. Eandem tamen hæc vim habent in Territoriis, quibus promulgantur, quàm leges universales in toto Imperio, adeò ut ipsa Camera Imperialis æquè secundum illa, ac secundum constitutiones Imperii judicare teneatur [e]. Nec mirum. Cum enim judicis sit non tantùm secundum jura communia, sed etiam secundum pacta privatorum judicare; quantò magis locorum statuta attendere debet? Maxima autem eorum autoritas in hoc consistit, quòd juri etiam communi contraria esse & expressis legibus Imperii derogare possint [f]. Quippe accidit, ut certi alicujus loci peculiaris ratio, vel diversus hominum genius respuat aliquid, quod plerisque aliis locis aptum & conveniens est. Hinc Aristoteles jura legitima mensuris comparat, quæ singulis penè locis variant [g]. Omninò igitur Ordinibus Imperii hoc concedendum est, ut Leges generales Imperii, si necessitas hoc exigat, quadantenus corrigere, & loci hominumque, quibus præsunt, conditioni aptare possint. Quâ ratione jam tum olim, cùm omnia adhuc sub ditione Regis essent, Ducesque & Comites administratores tantùm, non domini

(a) l. 1. ff. de jurisdict.
(b) de jure belli & pac. l. 2. c. 18. n. 2.
(c) Kirchn. l. 1 de legat. c. 3. Dissent. Carpz. de Lege Regiâ Germanor. c. 1 sect. 13. n. 17.
(d) l. 6. Eth. cap. 8.
(e) Ordin. Cam. part 1 t. 13. & t. 57.
(f) Meisch. tom. 2. lib. 1 dec. 8. n. 40. Reinking. de reg. sec. & eccl. l. 2. class. 2. c. 10
(g) l. 5. Eth. cap. 10.

mini essent provinciarum, singulæ tamen nationes, verbi gratia, Franci, Alemanni, Saxones, aliive suis vivebant legibus, quarum hodieque extant fragmenta. Nec tamen putandum, potestatem hanc recedendi à jure communi vagam esse, vel infinitam. Quam latè igitur pateat, distinctionibus explicandum.

XIX. Jus aliud est publicum, aliud privatum. Publicum autem in nostro quidem Imperio duplex est; aliud, quod ad ipsius Imperii statum, aliud, quod ad singularum regionum administrationem spectat. Quæ igitur ad publicum Imperii statum, salutémve communem pertinent, ea non ab Ordinibus singulis, sed ab Imperatore, totoque Imperio legibus definienda. Si quid autem de his rebus in ditionibus suis Ordines statuant, legibus Imperii conforme esse oportet. Ex hâc ratione est, quòd appellatio ad Imperatorem, vel Cameram Imperialem statuto prohiberi non possit, quia hoc jurisdictioni Imperiali præjudicaret: welches nicht allein (verba sunt ordinationis Cameralis) den Rechten zu wieder / sondern auch dem Käysers. Cammergericht / vnd desselben jurisdiction zum höchsten abbrüchig (*a*), quanquam solennitas, vel forma certa appellandi statuto introduci possit, cùm per hoc auctoritati summorum judiciorum nihil derogetur (*b*). Non addo plura exempla. Res enim clara est. Propriè igitur ad potestatem Ordinum Νομοθετικὴν pertinet, statum singularum regionum, non quatenus ad Imperium refertur, sed in se spectatum, & jus præterea privatum legibus constituere. Quatenus igitur in his rebus juri communi derogare possint, investigandum. Non autem opus puto, distinctionem juris Naturalis, Gentium, Legitimi, ejusque tum divini, tum humani afferre. Cùm enim nec per publicas imperii leges juri naturali, & divino præjudicari possit, quantò minùs per statuta. Atque hoc est, quod jurant Iudex & Assessores Cameræ, nach redlichen / ehrbahren / vnd Ländischen Ordnungen / Statuten vnd gewohnheiten zu richten (*c*). Hinc multa absurda, iniqua, & à rectâ ratione aliena statuta & consuetudines abrogat Imperator Carolus V. ordinatione Criminali sub finem (*d*).

(a) Ord. Cam. part. 2 tit. 28. §. und die weil add. Gail. 1. obs. 135. n. 12. Mynsing. 1. observ. 14.

(b) Gail. 1. observ 124.

(c) Ordin. Cam. part. 1. tit 57

(d) art. 218. von mißbräuchen vnd bösen vnvernünfftigen gewohnheiten / so an etlichen orten und enden gehalten werden.

XX. De jure igitur Legitimo, quod positivum vulgò nuncupant, tantùm quæritur. Distinguendum autem videtur inter jus civile Romanum, & quod Recessibus Imperii continetur. Cùm enim jure Romano multa comprehendantur, antiqui illius Imperii statui & moribus accommodata, quæ nostris hodie rationibus non conveniunt; nec tamen, quæ ejus generis sint, generali aliquâ Imperii lege definitum sit, vel etiam facilè definiri possit; consequens est, ut singulis Ordinibus, quæ suis ditionibus minùs commoda judicant, corrigere liceat. Juris Canonici, quatenus apud nos in causis civilibus servatur, eadem ratio est. Atque de hoc jure communi præcipuè intelligendum, quod communiter asserunt, per contraria statuta ei derogari posse.

XXI. Recessus autem Imperii quod attinet; videndum, quâ mente iis quippiam statuatur. Aliquando enim sic conditur Lex, ut tamen nihil statutis & consuetudinibus particularibus derogetur; vel etiam disertè permittatur Ordinibus, quibus ita visum fuerit, diversum quid à lege publicâ Imperii in ditionibus suis constituere. Talis clausula habetur Ordinatione Criminali Caroli V. in principio: Doch wollen wir durch diese gnädige erinnerung Churfürsten/ Fürsten und Ständen an jhren alten wolhergebrachten/ rechtmässigen/ vnd billigen Gebräuchen nichts benommen haben. Similis clausula habetur novissimâ constitutione Comitiorum Ratisbonensium de æris alieni moderatione (a): Zum zweyten/ dem jehnigen ebenmässig nachgelebet werden solle/ was Chur-Fürsten vnd Stände in jhren territoriis, nach deren jhnen am besten bekanten Zustandt vnd erlittenen Kriegsschaden/ wie es in creditsachen vnter jhren Vnterthanen vnd Bürgern zu halten/ allbereit verordnet/ vnd nach anleitung folgender Reguln weiter verordnen möchten. Aliquando verò lex universaliter fertur, antiquatis statutis & consuetudinibus, quæ constitutionibus publicis adversantur. Clausulæ ejusmodi derogatoriæ passim leguntur [b]. Tunc igitur locum non habet, quod antè diximus, statuta derogare juri communi: sed potiùs statuta & consuetudines particulares per constitutiones publicas tolluntur. Exemplum habemus

(a) §. setzt demnach. Item in §. doch mit diesem Zusatz.

(b) R. A. zu Augs. an. 1551. §. vnd nach dem. etc.

mus in constitutione Maximiliani I. [a], quâ sancitum est, ut non obstante consuetudine aliquâ, fratrum filii ad successionem patrui cum defuncti fratribus & sororibus in stirpes admittantur; quæ constitutio aliquoties repetita est [b]. Quanquam autem in nonnullis inferioribus judiciis illa non attendatur; si tamen causa ad Cameram Imperialem perveniat, non secundum consuetudinem inferiorum judiciorum, sed secundum constitutionem Imperii pronuntiatur (c). Unde dubitatio exoritur de jure Saxonico, quo fratres & sorores soli succedunt defuncto fratri, exclusis fratrum sororumq; liberis (d). Quanquam enim hoc in foro Saxonico observetur, insuper habitâ constitutione Imperii (e): attamen Mynsingerus (f) veretur, ne causâ ad Cameram delatâ, sententia contra fratrum liberos lata reformetur, vel potius tanquam contra constitutiones Imperii lata, nulla declaretur; quod nos in medio relinquimus. Quanquam autem hujusmodi clausula, vel derogatoria, vel quâ Ordinibus Imperii diversum aliquid statuere expressè permittitur, non semper addatur; ex circumstantiis tamen judicandum, quæ mens constitutionis sit. Et in dubio quidem lex universalis & perpetua censenda, ut nonnisi eodem modo, quo lata, plenis Comitiis iterum abrogari possit. Hæc enim legum ordinaria vis atque autoritas est, ut omnes obliget. Quâ de re ita Ulpianus (g): *Post rescripta principalia an ab hoc* (statuto municipali *discessum sit, videbimus: quia generalia sunt rescripta, & oportet Imperialia statuta suam vim obtinere, & in omni loco valere.* Exemplum hujus rei habemus in materiâ usurariâ. Licèt enim in regionibus nonnullis usurarum, vel annuorum redituum nomine sex in centum, vel plus etiam stipulari liceat: in Camerâ Imperiali tamen juxta constitutiones publicas (h), non attentis locorum illorum statutis & consuetudinibus, quinque tantùm adjudicantur (i). Plura de statutis addere non est hujus instituti. Pertinent enim ad locum, quo materia ista ex professo tractatur.

XXII. Consequens igitur est, de autonomiâ in rebus sacris aliquid addere. Nam religionis etiam institutio ad potestatem Legisla-

(a) Cammergerichts ordn. zu Augsp. an. 1500. die success. d. dichter od. Enck.

(b) R. A. zu Worm. an. 1521. §. nach dem auch. *Ed.* von dem Reg. zu Nürenb. anno 1521.

(c) Ref. ap. Kloc. in vot Cam. rel. 10 n 146.

(d) Ladr. l. 1. art. 13 & art 17. cõst. August. 18. in fin.

(e) Carpz. jurispr. for. p 3. c. 18. d 1

(f) resp. 36. n 6.

(g) l 3. §. 5. ff de sep. viol

(h) Policeyord. *an. 1577. tit.* von wucherlichen *contracten* R. A. zu Speyr *an. 1660.* §. so viel. R. A. zu Regensp. *an. 1654.* §. anreichend. (i) *Ita judic. in causâ* Kerkering *contra* Brömsern *7. Iul. anno 1655. in causa* Kramer *contra* Lafferds *20. octobr. anno 1657. & in plurimis aliis.*

gislatricem spectat [a]. Religio enim in Civitate recepta in jure quodam consistit. Unde Pomponius Religionem erga Deum ad jus naturale refert [b]. Aristoteles verò [c] exempla juris legitimi ponit, *capram Iovi immolare, non oves, item Brasidæ sacra facere.* Cicero [d] cùm jus primò in naturam & legem, utrumque iterum in divinum & humanum divisisset, hoc, addit esse æquitatis [sic vocat jus profanū] illud Religionis. Ulpianus jus publicum definit, *quod in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit* [e]. Hinc definitio illa Jurisprudentiæ, quod sit *divinarum & humanarum rerum notitia* (f) & definitio legis ex Chrysippo, *Lex est omnium divinarum & humanarum rerum regina* (g). Religionis ergo constitutionem ad τὴν Νομοθετικὴν spectare, satis manifestum est. Quoniam tamen ipse Deus hâc in parte Legislator noster fuit, & religionem nobis tradidit; non ampliùs homini fas est, huic vel addere quicquam, vel detrahere (h). Omnis ergo humana potestas in custodiâ & administratione præceptorum divinorum versatur. Administratio autem duplex est. Alia enim in ipsâ sacrâ functione, quæ sacerdotum est, alia in Imperio circa sacra consistit. Sic enim hæc rectè secernit Grotius (i). Jam igitur de officii sacri functione, quam Scholastici potestatem Ordinis, Theologi nostrates potestatem Spiritualem vocant, nulla, quæ ad nos pertineat, lis est. Nemo enim dubitat, eorum has esse partes, quibus dictum est, *Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos* [k]. Sed de Imperio circa Sacra, seu de regimine externo, ut vocant, controversia ardua & illustris est, quis summam ejus potestatem habeat: quæ quæstio quasi cardo est omnium controversiarum, quæ Protestantibus cum Romanâ Ecclesiâ intercedunt. Sed & in ipsâ Romanâ ecclesiâ variè dissentiunt: & rursus Protestantes, Reformati præsertim, magnis contentionibus inter sese eâ de re litigant. Verùm nostrum nunc non est, has quæstiones attingere. Supposito igitur, summam potestatem Regiminis Ecclesiastici externi, quanta in homines cadit, penes eum esse, qui Reipubl. Civili præsidet, quæ nostra Potestantium est sententia (l); jam porrò in nostro Imperio quomodo res se habeat, quæri potest, an omnem Religionis summam potestatem Imperator & Ordines conjunctim, an verò & singuli Ordines seorsim in ditionibus suis autonomiam quandam hâc in

(a) Grot. l. 1. cap 3. n. 6.
(b) l. 3. ff de just. & jur.
(c) l. 5 Eth. cap. 10.
(d) in orat. part.
(e) l. 1 ff de just. & jur.
(f) l 10. ff d. just. & jur. § 2. Inst. eod.
(g) L. 2. ff de leg.
(h) Apocal xxii, 19.
(i) l de imp. summ. pot. circa sacra cap 2.
(k) Matth. ult. vers. 19. Marc. ult. vers. 15.
(l) Marc Ant. de Dominis de rep. eccl l. 6 c. 4. 5 6. & 7. Hugo Grot. de imperio summarum potestatum circa sacra cap. 1.

in re habeant, & quo jure habeant. Sed quò res magis perſpicua fiat, ſuperiorum temporum hiſtoria breviter recenſenda eſt.

XXIII. Primò ſatis certum eſt, iam tum olim Jurisdictionem inter magiſtratus, qui partibus Regni præſidebant, diviſam fuiſſe, ita ut Sacra per Epiſcopos & Metropolitanos, Profana per Duces & Comites adminiſtrarentur. Non habebat igitur alter in alterius officio ullas partes, niſi quòd invicem ſe obſervare jubebantur, ita ut ſi alteruter eorum muneri deeſſet, Epiſcopus Comitem, & viciſſim Comes Epiſcopum Regi vel ejus Legatis deferret, quò metu indicii uterque in officio contineretur (*a*). Summa autem poteſtas, ut in aliis rebus, ſic etiam in Sacris penes Regem, ſeu Imperatorem & Ordines Regni conjunctim erat. Leges itaque Eccleſiaſticæ, non minùs quàm civiles, in Comitiis univerſalibus condebantur, ceu manifeſtum eſt ex Legibus Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Pii, quæ hodieque extant. Si quæ autem controverſia in Religione oborta decidenda eſſet, ſi quid in diſciplinâ Eccleſiaſticâ, in vitâ & moribus Clericorum emendandum eſſet; hæc plerumque in Synodis tractabantur, quibus tamen Rex nomine Reipubl. vel præſidebat, vel poſtquam ad ipſum relatum eſſet, quid Synodus ſtatuiſſet, autoritatem accommodabat (*b*).

(a) Capitul. Carol. & Lud. Impp. lib. 2. c 12.

(b) Lehman Chro. Spir. l. 2. cap. 41.

XXIV. Præter hæc peculiare quoddam imperium ac Jurisdictio Regi in Epiſcopos, aliosque Antiſtites competebat, quâ de re ita lex habet: *Epiſcopi, Abbates, Comites & potentiores quique, ſi cauſam inter ſe habuerint, nec ſe pacificare voluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neque illorum contentio alibi dijudicetur* (*c*). Legati etiam Regis, qui certis anni temporibus in ſingulas Regiones ad conventus agendos ex aulâ mittebantur, non minùs ab Epiſcopis, quàm Comitibus rationes officii exigebant, eosque, ſi opus eſſet, in ordinem redigebant (*d*). Præterea Ius Epiſcopos inveſtiturâ per annulum & baculum conſtituendi, antequam Gregorius VII. Imperatori Henrico IV. eâ de re controverſiam moveret, Reges & Imperatores habuiſſe, ſatis notum eſt. Hæc igitur Jurisdictio Regia in Sacrorum Antiſtites, item jus eos conſtituendi Ducibus quibusdam, poſtquam ipſi ditiones ſuas Regiâ propè autoritate adminiſtrare cœperunt, unà cum cœteris Regalibus ceſſit. Hinc formula adminiſtrationis, quæ

(c) cap. Car. & Lud. Imp. l. 3. cap. 77.

(d) Capit. lib. 4. c 66.

 Duci

(a) lib. 3. annal. Baior.

(b) lib. 4.

Duci Bavariæ more majorum præscribebatur, teste Aventino (a) sic incipiebat: *Templa sacrosancta sunto. Uti Pontifices res ecclesiasticas procurent, monachi rectè vivant, omnes decimas tribuant sacerdotibus, Princeps jure suo operam dato.* Apud eundem (b) Henricus Auceps Arnulpho Duci Bavariæ has fert conditiones pacis: *Sacrarum ædium quoque, opum Ecclesiasticarum, Episcoporum, Sacerdotum, mystarum, monachorum, Antistitum omnium curatorem te esse iubeo & patronum: illos tibi in clientulos dico, modo nomen Regis inutile abdicato.* Paulò pòst addit autor: *Reges illo seculo in demortuorum Episcoporum locum, in Senatum Pontificum, Præsulum, quoscunque libuit, allegebant. Eam cooptationem Pontificum, Præsulum, mystarum, monachorum Henricus in Arnulphum transtulit: eaq; potestas sacerdotes creandi beneficium post hac Arnulphi fuit.* Ibidem notat, ad conventus etiam annuos Ducatus Episcopos venire solitos fuisse, in quibus etiam causæ Ecclesiasticæ disceptabantur. Duces quoque Saxoniæ potestatem ejusmodi exercuisse constat. Certè Henricus Leo non dubitavit adhuc post transactionem inter Calixtum Papam & Henricum V. de investiturâ laicâ initam, potestatem Episcopos constituendi sibi sumere; quod manifestum est ex historiâ Geroldi Episcopi Aldenburgensis, quam refert Crancius (c). *Nam Dux*, addit idem autor, *factâ postulatione apud Cæsarem, obtinuit Episcopatus erigere in omni terra VVandalorum, quam vel ipse, vel progenitores ejus subjugarunt.* Hæc propterea narravi, ut ostenderem, iam tum olim Principes quosdam Germaniæ Regium aliquod Imperium circa Ecclesiastica habuisse, summâ potestate tamen, cujusmodi est hodie jus Reformandi, quod vocamus, penes totum Imperium manente.

(c) l. 6. Sax.

XXV. Verùm invalescente magis magisque autoritate Pontificis Romani, postquam is Regnum in Ecclesiâ occupavit, Imperator & Principes omni fere potestate circa Sacra exuti sunt. Quanquam autem in possessionem istius Monarchiæ venerit Pontifex, de jure tamen semper dubitatum fuit. Quin dissensiones adeò variæ hominum doctorum eâ de re fuerunt, ut nonnulli ex Scholasticis censuerint, ad veram potestatem Ecclesiæ pernoscendam opus fore, ut sapientes ac docti juramentis & horribilibus comminationibus ad veram animi sententiam dicendam adigerentur (d). Vel ex iis, quæ tempore reformationis acta, constare potest, non tribuere Imperium nostrum

(d) Ex Alm. & Occamo refert Marc. Ant. de Dominis de Rep. Eccl. l. 5. c. 3. n. 4.

nostrum Pontifici adeò omnem regiminis Ecclesiastici potestatem, ut non suas etiam magnas in eo partes credat. Multa enim de Religione in Comitiis Imperii constituta sunt, invito, imò obluctante & contradicente Pontifice, cujus tamen protestationes atque adeò objurgationes Imperator & Ordines parùm curarunt (a). Imperatores etiam nostri, se tanquam summos Advocatos & Procuratores Ecclesiæ, non nudum ministerii nomen, sed officium cum autoritate conjunctum gerere, haud obscurè profitentur (b). Imperatorio autem isti muneri officium Ordinum Imperii, quod in ditionibus suis gerunt, proportione quâdam respondere, intelligere licet ex verbis constitutionis Imperii (c). Es sollen auch unser Stadthalter und Regiment / darzu Churfürsten / Fürsten / Prælaten / Graffen und Stände des Reichs / daneben mit sonderem hohem fleis und auffmercken versehen / das mitlerzeit das heilig Evangelium und Gottes Wort nach rechtem wahrem Verstand / und auslegung der von gemeinen Kirchen angenommen Lehrern / ohn auffruhr und ergernis gepredigt und gelehrt werde. Unde & Ordines Imperii defensores fidei vocantur, Schützer unnd Schirmer des Glaubens (d), non minùs quàm Imperator summus Advocatus & Procurator Ecclesiæ, Oberster Vogt und Beschirmer der Christlichen Kirchen, audit. Manifestum igitur est, jam tum ante reformationem Imperii Ordines in Ecclesiastico ditionum suarum regimine autoritatem habuisse, & proinde etiamnum habere Ordines Veteris Religionis: quanta autem hæc fuerit potestas, hodieque sit, quoniam apud ipsos ad huc sub judice lis est, non facile explicatu est.

(a) Sleidan. lib. 14 & 16. Thuanus hist. lib 39.

(b) R. A. zu Regenspurg an. 1541. §. Aber Churf.

(c) R. A. zu Nürenberg an. 1524. §. und ist darauff. R. A. zu Augsp. an 1525. §. vñ nach.

(d) R. A. zu Nürñb an 1524. §. als auch vielgedachte.

XXVI Jam verò quâ occasione dissidium de Religione superiori seculo exortum, ut Imperium in partes scissum, quantis tum animorum contentionibus certatum sit; cùm alii emendationem Ecclesiæ urgerent, & Imperio hac in re cunctante officiumque negligente, suâ eam autoritate in ditionibus suis instituerent: alii verò, qui receptam hactenus Religionem retinendam censebant, priores illos officii limites excessisse, ac totius Imperii juri, autoritatique universæ Ecclesiæ præiudicasse contenderent: hæc, inquam notiora sunt, quàm

quàm ut hoc loco narrari opus sit. Tandem discordantis patriæ non aliud fuit remedium, quàm scissurâ in Ecclesiâ relinquere, & permisso invicem religionis dissidio, in Rep. unum sentire. Pace igitur religioni datâ [a], Ordinibus Imperii Ius Reformandi concessum, i.e. optio data, utrùm majorum religioni inhærere, an ex formulâ Augustanæ Confessionis eam in ditionibus suis instituere velint. simul etiam, quòd consequens erat, Iurisdictio Ecclesiastica quoad Augustanæ Confessionis socios suspensa; quam proinde ipsi Principes & alii Ordines sibi sumpserunt. Atque hæc summa sunt Pacis Religiosæ capita.

(a) R.A. zu Augs. an. 1555. §. und damit & seqq.

XXVII. Præcipuum autem est Ius Reformandi, quod sanè aliquid τῶ κυρίω est. Dubitari igitur potest, quâ ratione illud singulis Ordinibus tributum sit. Nam summam potestatem circa Religionem ab antiquissimo usque tempore universum Imperium habuisse, & emendationem status Ecclesiastici, si quâ opus esset, non singulorum Ordinum, sed universi Imperii autoritate factam fuisse, paulò antè narravimus. Quòd si etiam ipsius rei naturam & conditionem consideremus; aliter se res habere non potest. Quid enim magis, vel Ecclesiæ, vel Reip. interest, quàm ut una vera religio in universo Imperio colatur? Hoc autem permisso singulis religionis arbitrio obtineri non potest. Verùm si suprà à nobis posita principia repetamus; facilè quæstio decidi potest. Fatendum enim est, nihil magis optandum fuisse, quàm ut religio, quæ tractu temporis labefactata erat, per universum Imperium antiquo vigori restituta fuisset. Ita enim singulis Ordinibus Ius Reformandi concedere neutiquam fuisset opus. Eò etiam tendebant omnes Protestantium conatus, qui nihil nisi Concilium liberum flagitabant. Fuisse autem talem Ecclesiæ statum, ut emendatione indigeret, adeò manifestum est, ut nec ipse Pontifex ausus fuerit dissimulare. Sic enim Legatus ejus ex præscripta ab ipso formulâ in Comitiis Imperii disseruit (b): *Deum videlicet vindicem omnis iniquitatis, affligere ad hunc modum Ecclesiam suam: propter populi, maximè verò propter eorum peccata, qui præsunt Ecclesiis, cum scriptura dicat: à sacerdotibus iniquitatem populi dimanare. Nam certè plurimis nunc annis graviter multisq; modis peccatum esse Romæ, & inde à Pontificio culmine malum hoc atque luem ad inferiores omnes*

(b) Sleidan. lib. 4.

Ecclesiarum praefectos defluxisse: neminem enim esse, qui suum faciat munus, aberrasse omnes, & ne unum quidem ex omni numero vacare culpâ. In constitutionibus etiam Imperii id temporis editis haec quasi solennis, vel clausula, vel praefatio habetur, de convocando Concilio, & emendando Ecclesiae statu. Sed ea erant tempora, ut nec vitia nec remedia pateremur. Pontifex enim Romanus, qui *quantum* (verba sunt Thuani (a), *ex disciplina emendatione auctoritatis & ornamenti Ecclesiae accederet, tantum de potestate suâ detrahi existimabat*, per varias artes omnes conatus & studia eorum, qui necessariae in ecclesiâ emendationis causâ liberum Concilium postulabant, facilè eludebat. Hoc igitur rerum statu, quaenam Principum Ordinumque nostrorum partes fuerint, non potest esse obscurum. Quoniam enim publicae emendationis, quae vel in Ecclesiâ universali, vel saltem in universo Imperio nostro fieri debebat, spes non erat; utique ipsorum erat, & suae conscientiae consulere, & ditionibus, quibus cum universali quodam imperio civili praesident, revocato ad S. Scripturae & antiquae Ecclesiae normam religionis exercitio, prospicere. Jam enim aliquoties ostendimus, etiam illa negotia, quorum cura & administratio magis ad universi Imperii, quàm singulorum Ordinum potestatem spectat, si ab Imperio vel negligantur, vel effici non pôssint, necessitate quâdam Ordinum potestati subiici, ut defectum Imperii in ditionibus suis curâ ac industriâ suâ, prout res patiuntur, suppleant. Hâc igitur ratione Ius Reformandi Ordinibus per Pacem Religionis concedi, vel potiùs, quoniam iam antè jure exercuerant, confirmari oportuit. Quanquam enim in universum in religione vim conscientiae facere nefas sit, longè majori tamen ratione hoc tunc locum habet, quando religio cum tempore aliquam labem contraxit, atque ex eâ occasione schisma in Ecclesia exoritur. Tunc enim, quamdiu controversia legitimis rationibus composita non est, ex necessitate juris, quoniam alius exitus non datur, arbitrium alterutram partem eligendi omnibus concedendum est.

(a) l. 1. hist.

XXIIX. Permissis igitur ita in Imperio nostro duabus hisce religionis controversae partibus; ex alterutrius electione pendet status Iurisdictionis Ecclesiasticae. Ex Veteris enim Religionis institutis Episcoporum est; ex alterâ parte Principum vel aliorum, qui Ius Ter-

ritorii

ritorii habent. Quoniam enim ex Protestantium sententiâ Iurisdictio Ecclesiastica pars est Civilis Imperii, meritò Principes Protestantes jure Civilis Imperii etiam Iurisdictionem illam sibi vindicant. Atque hoc sensu intelligendi videntur illi, qui per Pacem Religionis Ordinibus Augustanæ Confessionis Iurisdictionem Ecclesiasticam non tam datam, quàm restitutam esse asserunt (a), quod aliàs crudè intellectum falsum videri poterat. Econtrariò nimis manifestus est error eorum, qui ex eo, quòd Pace Religionis Ordinibus Protestantibus Iurisdictio Ecclesiastica expresse concessa non sit, dicere ausi fuerunt, Iurisdictionem Ecclesiasticam contra Ordines Augustanæ Confessionis suspensam quidem esse, non tamen apparere, quòd in eos translata sit (b). Nam quoniam Principes Protestantes ex doctrinâ religionis nostræ Iurisdictionem istam sibi sumpserant; utique religione nostrâ permissâ, hoc quoque confirmatum est. Ut igitur expressis verbis in Principes ac Ordines Protestantes transferretur Iurisdictio Ecclesiastica, nec opus fuit, nec commodè fieri potuit. Nam ex doctrinâ Veteris Religionis Potestas Iurisdictionis, quam vocant, non tantùm Iurisdictionem propriè dictam, sed & disciplinam Ecclesiasticam, imò ex nonnullorum sententiâ, aliquid ex potestate Ordinis comprehendit. Miris enim modis dissentiunt Scholastici in explicatione distinctionis istius, quomodo differant potestas Ordinis, & potestas Jurisdictionis (c). Hujusmodi igitur potestas quomodo potuit in Principes seculares transferri? Sine dubio etiam Ordines Veteris Religionis sibi præjudicio fore putarunt, si expressis verbis Jurisdictionem Ecclesiasticam ab Episcopis ad Principes seculares transferrent, quoniam ex ipsorum sententiâ hæc potestas non ad Remp. sed ad Ecclesiam spectat. Atque hæc etiam causa videtur esse, quòd Instrumentum Pacis, licet specialiùs hoc attingat, ejusmodi tamen circumlocutione utatur, quæ neutri parti præjudicio esse possit.. Postquam enim dictum fuerat, Jurisdictionem Ecclesiasticam contra Augustanæ Confessionis socios suspensam esse debere, hæc adduntur verba (d): *Et intra terminos Territorij cujusque Jus Diœcesanum & Iurisdictio Ecclesiastica se contineat.* Sed cùm consuetudo hujus rei satis nota sit, supervacaneum foret, pluribus de eâ disputare. Non etiam hujus loci est tractare reliquas quæstiones circa Pacem Religi-

(a) Reinking. de reg. secul. & eccles. lib. 3. class. 1 cap. 10. n. 3.

(b) Nicol. Everhard. Jun. vol. 1. cons. 1. n. 78.

(c) Marc. Anton. de Dom. de Republ. Eccl. lib. 5. cap. 3

(d) Instrum Pac Cæsareo Suec. cap 5 § 16. Jus Diœcesanum.

Religionis obortas, præſertim cùm Inſtrumento Pacis pleræque deciſæ ſint.

XXIX. Hactenus igitur de Autonomiâ Ordinum Imperii, tum in rebus Sacris, tum in Profanis. Sequitur Vectigalium & Ærarii cura, quam nos inter ſummas Reip. deliberationes ultimo loco nobis tractandas propoſuimus, Ariſtot. autem in Rhetoricis (*a*) primo loco ſtatuit. *Eum igitur*, inquit, *qui de Vectigalibus ſententiam dicturus eſt, primùm quidem noſſe oportet, quantum ex quaque re Civitas capiat, ut ſi quid prætermittitur, addatur: ſi quò minus, quàm par eſt, ex re aliquâ percipitur, augeatur. Noti autem ei debent eſſe ſumptus, quos facit Civitas, ut, ſi quis ſupervacaneus eſt, tollatur, ſi quis juſto major, minuatur.* Ex his intelligere licet, in quibus ſumma Ærarii poteſtas conſiſtat. Quemadmodum igitur ſumptus in Republ. faciendi, vel certi ac perpetui ſunt, vel extra ordinem incidunt & quantitate variant: ſic etiam modi conficiendæ pecuniæ publicæ vel ordinarii ſunt, qui lege, vel conſuetudine determinati ſunt; vel extraordinarii, quibus illi, qui ſummam habent poteſtatem, ex neceſſitate Reipubl. modum ſtatuunt. Utrique in Imperio noſtro ita conſtituti eſſe debebant, ut alii Imperatori & univerſo Imperio, alii verò ſingulis ſeorſim Ordinibus in adminiſtatione Reipubl. inſervirent. Et olim quidem Vectigalia, aliaque Fiſci jura ſolius Regis erant; unde Regalia vocantur (*b*). Poſtquam autem Imperii Proceres jure Superioritatis Regiones ſuas obtinuerunt, hæc quoque Regalia, tanquam neceſſariæ quædam tantæ poteſtatis acceſſiones, in ditionē eorū venerunt. Hodie igitur conceſſo Territorio univerſali, omnia Regalia, exiſtimantur conceſſa (*c*): præſertim verò in feudis Regalibus, qualia utique Procerum Imperii ſunt, veniunt (*d*): & adeò quidem juri Superioritatis connexa ſunt, ut vulgato uſu loquendi confundantur (*e*). Territorium enim habere, nihil aliud eſſe ajunt, quàm regalia habere (*f*). Alii minimùm in definitione Superioritatis etiam Regalium mentionem faciendam putant, ut ſuprà diximus. Sic igitur jura Regia jura Territorii facta ſunt, retento tamen antiquo nomine Regalium, licèt ipſi Regi, id eſt Imperatori oppidò pauca reſtent. Fiſci enim Imperatorii reditus admodum tenues ſunt: Imperii verò nomine quicquid ſumtuum faciendum eſt, ipſorum Or-

(a) lib. 1. cap. 4.

(b) 2. feud. 57.

(c) Knich. de jure territ. cap. 1. n. 1404.

(d) Roſenth. de feud. c. 5. concl. 13.

(e) Sixtin. de regal. lib 1. cap. 1. n. 19 & ſeqq.

(f) Zas. cōcl. 14. n. 23 lib. 1.

 dinum

dinum contributione colligitur. Verùm nos missis, quæ ad Ærarium Imperii pertinent, potestatem Ordinum, quam in ditionibus suis habent, consideremus.

XXX. Primò Regalia, omnésque ordinarios Territorii reditus, non tanquam administratores, sed ut domini percipiunt, & proinde pro lubitu iis utuntur, nullis rationibus obnoxii. Deinde quoniam variis Reipubl. temporibus accidere potest, ut ordinaria vectigalia n.cessitati publicæ non sufficiant; necesse utique est, interdum extra ordinem aliquid exigere. Hinc est, quòd Collectæ, sic enim vocantur extraordinariæ indictiones (a), ad jus Superioritatis referantur (b). Olim quidem minùs usitatæ erant, quàm hodie, quòd milite delecto, vel evocato uteremur. Hodie autē omnis ferè militia cōductitia est. Itaq; ad militē conscribendum, & stipendia ei solvenda, Collectæ necessariæ sunt. Possunt tamen & aliis variis ex causis indici (c). Quantamcunque autem potestatem Ordines Imperii vel in ordinariorum, vel in extraordinariorum munerum impositione habent, si tamen modum excedant, & nimis onerent subditos, animadversioni Imperatoris obnoxii sunt, qui iniquitatem Dominorum erga subditos pro renatâ vel mandatis (d) vel ordinario judicio coërcere solet (e). Et quod ordinaria quidem onera attinet; quoniam singulorum locorum Legibus & consuetudinibus determinata sunt, inde dijudicandum est, an modus excedatur, nec ne. Solent etiam certis quibusdam libris ordinariæ præstationes subditorum consignari, ad quos proinde controversiâ motâ, provocatur (f). De ejusmodi librorum editione haud ita pridem in Camerâ Imperiali acriter disceptatum fuit *in causâ L. contra S. mandati de non gravando contra servitia consueta, ut & edendo* C. C. Cùm enim Domino mandatum esset, ut libros censuales, aliosque ejus generis veteres & authenticos ederet; is verò se excusaret, quòd eos bello deperditos diceret; per sententiam XXIII. Mart. anno CIↃ IↃC LIIX. jurejurando se purgare jussus fuit, quòd libros, de quibus agebatur, nec habuerit, nec viderit, nec legerit, nec quò illi interciderent, dolo malo fecerit: quæ sententia XIII. Decembr. eodem anno denuò confirmata est. Quod autem Collectas & munera extraordinaria attinet; quoniam legibus definita non sunt, nec certam præstationis mensuram habent; arbitrio boni Viri æstimandum

(a) Gail. 2. obs. 52.
(b) Meischn. tom. 2. lib. 1. decis. Cam. 6. n. 25. & lib. 1. decis. 9 n. 2. knich. de jur. territ. cap. 3. n. 369.
(c) Klock. de contribut. c. 8.
(d) de quib. tamen vid. R. A. zu Regenspurg an. 1654. § beneben sollen.
(e) Gail. 1. observ. 17.
(f) Wehn. in observ. pract. verb. Bucher.

dum

dum, an causa satis gravis sit, item an modus indictionis necessitati Reipubl. respondeat, nec ne. Quanquam nonnulli non sufficere putent, quòd causa adsit, nisi & consensus subditorum accedat. Moris enim esse tradunt, ut Principes, quoties nova exactio instituenda, priùs Conventu convocato cum Ordinibus Provinciæ ea de re tractent (a). Alii, an hoc omnino necesse sit, dubitant [b). Non enim licet subd tis, necessitatibus publicis se subducere [c. Sed quoniam hæc quæstio ad locum de autoritate Conciliorum provincialium pertinet, nos infrà eâ de re aliquid dicemus.

XXXI. Solent autem, qui Rempubl. administrant, ita rationes Ærarii instituere, ut quàm minimùm possunt, onerent subditos. Itaque vectigalia, quæ pro transitu mercium exiguntur, eô præcipuè fine instituta videntur, ut pars onerum publicorum ad exteros etiam, qui commodis quibusdam à nostrâ Civitate, vel Regione fruuntur, devolvatur. Quæ igitur circa hæc Summi Imperii, quæ Ordinum potestas jure Superioritatis sit, videndum. Ut cœtera Regalia, sic hæc etiam vectigalia largitionibus Imperatorum ad Ordines pervenerunt. Supererant tamen nonnulla Imperatori, quæ Carolus IV. Electoribus concessit. Alia ipsi Ordines Imperii propriâ autoritate instituerunt, quæ diuturnus usus confirmavit. Hæc igitur olim instituta vectigalia Ordines jure Superioritatis & Regalium in ditionibus suis percipiunt eâ lege & formâ, quam ex antiquitate habent [d]. Verùm nova vectigalia instituere, vel vetera augere, ad majora Regalia spectat [e], & quoniam hoc non tam utilitatem unius Territorii concernit, quàm Regiones finitimas, atque adeò totum Imperium onerat; siquidem nihil æquè impedimento est commerciis, quorum libertatem inter Regiones, Civitatesque Imperii tueri, Imperatorii officii est; facilè intelligitur, excedere illud limites illius potestatis, quâ Ordines ditiones suas regunt, & ad summum Imperium spectare. Præterito tamen ævo, cùm res Imperii adhuc negligentiùs ordinatæ essent, maiorem sæpè licentiam Principes, eorumque ministri circa vectigalia usurparunt: quæ causa movit Civitates, ut fœdera ad tuendam commerciorum libertatem inter se inirent [f]. Sæpè etiam turbas & bella civilia ea res concitavit [g]. Hodie autem inter Capitulationis Cæsareæ Leges est, ut Imperator, si quæ

(a) Wehner in observ. pract. verb. schatzung. Bocer. de collect. c. 4. (b) Lamp. d. jur publ. l. 3. c. 14. n. 3. (c) Klock. de cont. c. 7

(d) l. 10. C. de vect. & com. Aur. bull. t. 9. ibi. Zoll die in vergangenheit gesetzet sind. (e) t. t. C. nov. vectig. instit. non posse (f) Lehman Chr Spir. lib. 5. c. 92. (g) Idem l. 7 c. 3. & c. 58.

nova vectigalia instituantur, mandatis pœnalibus ea abroget [a], neque ipse cuiquam absque Collegii Electoralis consensu, monitis priùs vicinis, eorumque consilio requisito, ea concedat [b]. Inquisitio hujus rei etiam ad Circulorum curam pertinet, ut ad Imperatorem referant, si quæ vectigalia absque ejus autoritate recenter instituta deprehenderint [c].

(a) Sylm 3. Symphor. verb. Vect. n. 186.
(b) Capitul. Leopold. Imp. §. 21 wir sollẽ.
(c) R. A. zu Regenspurg an. 1576. §. weiters.

XXXII. Porrò inter præcipuos locupletandi Ærarii modos etiam monetæ adhiberi solent. Unde Autor Oeconomicorum, quæ Aristotelis nomen præferunt, libro secundo, ubi Regiæ Oeconomiæ genera recenset, primo loco rem numariam statuit, quando faciendum sit, *ut numi pretiosi sint, aut viles.* Ut Germaniæ etiam mores se habent, plerique, qui jus monetæ cudendæ habent, magnum ex eo quæstum faciunt. An autem rectè hoc fiat, nec ne, an res numaria ad Ordinum Imperii Superioritatem Territorialem, an verò ad summam Imperii potestatem, & in universum, quâ ratione ad Reipubl. curam spectet, an quò fiscus inde lucretur, an aliâ ex causâ; hæc inquam, facilè intelligemus, si doctrinam Aristotelis de naturâ numi consulamus. Numus enim instrumentum quoddam est, quod rerum permutationi inservit. Est enim instar communis mensuræ, quâ indigentiam nostram & rerum utilitatem metimur. *Præterea verò in permutationem futuram, si fortè re aliquâ nunc non egeamus, tunc ejus nobis facultatem & copiam fore, cùm egebimus, veluti sponsor numus intercedit*, ut pluribus docet Aristoteles in Ethicis *(d)*. Quò etiam alludit Germanicum vocabulum Pfenning / quasi Pfanning: cùm numo veluti pignore nobis cautum sit, omnia, quibus indigebimus, nobis præstò fore. Et argentum *primò quidem* (addit Aristoteles in Politicis (*e*) *simpliciter magnitudine & pondere definitum, ad extremum verò etiam ab iis notâ signatum, ut labore metiendi ac ponderandi defungerentur. Nota enim impressa est ad quantum significandum.* Inde jam facilè intelligitur, quid jus cudendæ monetæ sit, & quare ad summam potestatem Reip. spectet. Nota enim illa publicâ autoritate imprimenda est, ut sit bonitatis & valoris numi indubitatum quoddam & omni exceptione majus testimonium. Aliàs enim contrahentes nunquam securi forent, cùm tamen numi, tanquam pignoris & sponsoris, propria functio sit, ut contrahentes securos faciat. Hâc

(d) lib. 5. c. 8.
(e) lib. 1. c. 9.

igitur

igitur de causâ, non quò Fiscus quæstum faciat, moneta autoritate publica signanda est (*a*). Eâdem verò ex causâ promiscua illa monetæ cudendæ potestas, qualis in nostro Imperio cernitur, non potest esse è Republ.. Quò enim negotiantibus de integritate numi plenè cautum sit, non sanè vulgaris aliqua autoritas sufficit ad notam imprimendam, sed planè magna, ut scrupulo omnî sit exemta. An autem tanta sit omnium autoritas, qui hodie jus monetæ cudendæ habent, ut absque hæsitatione eorum signo fidem adhibere possimus, non est obscurum. Si enim, ubi summa circa monetam autoritas penes unum est, vix possunt caveri fraudes & machinationes, quæ in adulterandis numis adhibentur; quod colligere licet ex severitate pœnarum, quas leges Romanæ huic flagitio statuunt; quid fiet, ubi hæc potestas adeò multis patet? Accedit, quod si libera potestas monetæ faciendæ multis communicetur, numi cudantur non unius formæ, sed ab aliis alii. Inde verò multas difficultates & incommoda in negotiationibus oriri necesse est. Quippe numus instar mensuræ cujusdam est, ut ex Aristotele notavimus. Quemadmodum igitur in continuis dimensionibus mensuræ variatio difficultates parit: sic numorum varietas commerciis maximo impedimento est. Nam numi vulgò noti esse debent. Si enim incogniti sunt, quomodo iis res æstimabimus? Æquè est ac si ignotæ mensuræ genere metiri, atque adeò ignotum per æquè ignotum cognoscere velis. Nunc autem tot numorum genera nosse, quantæ est experientiæ? Omninò igitur dicendum, monetæ cudendæ autoritatem adhibere non ejus esse potestatis, quâ Territoria reguntur, sed summi Imperii. Atque hæc recepta est JCtorum sententia, quibus competit jus monetæ cudendæ (neque enim omnes habent, sed certi quidam, qui Müntz-stände vocari solent) eos non hoc jure proprio, aut vi Superioritatis Territorialis, sed beneficio speciali Imperatoris, aut immemoriali, quæ instar privilegii est, præscriptione tenere (*b*). Sed verendum fortassis est, ne hæc privilegia adeò multorū communia sint, ut parùm absint à lege generali. Si enim plerique omnes privilegia habent, non ampliùs privilegia sunt, sed jus commune fiunt. Equidem tolerari poterat, & prout nostra Respubl. se habet, quodammodo necessarium

(*a*) *adde* R. A. zu Speyr *an.1570 ibi* als dann die müntz gerechtik. keine mercantz/sondern unser Kays. *regal*, so die müntzstände/ aus uns. sond. vertrawen/ nit zu ihre selbst gesuchte vortheil/ sond. wie wir selbst dem R. zu ehren und wolfahrt brauchen sollen.

(*b*) R. A. zu Augsp. *an.1551.* §. so haben wir. R. A. zu Speyer *an.1570.* §. alsdann. *Cluten. in syllog. conc.22. lit. K. Bocer. de mon. c.3. n.23. Rumel. ad Aur. Bull. diss.8. th.30.*

videtur fuiſſe,ut Electoribus, aliisque Principibus & Ordinibus potentiâ præcipuis, præſertim qui auri & argenti fodinas in Territoriis ſuis habent, jus monetæ, legibus tamen Imperii, multisque cautelis revinctum, concederetur. Sed non ſtetit intra hos terminos profuſa Imperatorum liberalitas, ſed ex poteſtate planè Regiâ promiſcuam penè licentiam, vel fecerunt, vel fieri paſſi ſunt. Non enim Ordines tantùm Imperii plurimi, ſed etiam Principibus ſubjectæ Civitates, vel Imperatorum, vel Principum dono, vel itidem præſcriptione hoc jus nactæ ſunt. Sic multorum autoritatem in numis ſignandis ſequi tenemur, quibus ne in contractu quidem aliquo fidem adhiberemus. Quantus autem hic ſit in Republ. noſtrâ error, magno noſtro malo experientia nos docuit. Moneta enim reproba haud inter poſtrema mala publica eſt, quibuscum conflictati ſumus.

XXXIII. Diu eſt, quòd remedia quæſita ſint, de quibus multis Comitiis ab omni uſque tempore actum. Tandem Ferdinandi I. tempore res feliciùs ceſſit: & edita eſt de re monetariâ nova Conſtitutio Auguſtæ Vindelicorum anno ſuperioris ſeculi LIX, quæ ſequentibus aliquot Conſtitutionibus partim correcta, partim adaucta. Summam recenſet Denaiſius (a). Res ipſa nimirum docuit, non poſſe tutò adeò multorum fidei monetas committi, ſed ſummam curam & autoritatem ad Imperium quodammodo revocandam eſſe. Ne tamen etiam jus quæſitum cuiquam auferretur, ita res temperata, ut quibus eſt jus monetæ cudendæ, ſi proprias fodinas metalli non habeant, eo nô domi ſuæ, ſed tribus vel quatuor duntaxat locis à Circulo deſignandis utantur, atque ibi ab ipſo Circulo conſtituantur præfecti monetales, qui nomine ejus omnia rectè curent. Verùm leges quidem ſatis benè ſcriptæ ſunt, ſed malè cuſtodiuntur. Itaque applicari nobis poſſet ſcita illa comparatio Ariſtotelis, quando Civitati, quæ bonas leges habet, ſed eas non ſervat, hominem incontinentem ſimilem eſſe dicit, qui quid bonum & decorũ ſit, novit quidẽ, ſed non facit (b). Ratio autem eſt, quòd cuſtodia illarum legum Circulis commiſſa ſit. Hi autem, cùm utique non conſtituti ſint, ut debebant, in plerisque deſunt officio. Quid igitur hoc rerum ſtatu Principibus & Ordinibus Imperii incumbat, manifeſtum eſt. Nimirum res numaria, quæ per Imperium & Circulos negligitur, in ſingulis Territoriis curanda eſt.

(a) verb. Monetarũ edictum.

(b) lib. 7. Eth. cap. 11.

Ita-

Itaque ipsis constitutionibus Imperii, postquam animadverti cœpit, Circulos non facere officium, Ordinibus permittitur, atque adeò demandatur, ut operam dent, ne adulterina moneta in ditiones ipsorum irrepat, sed edictis, constitutioni tamen Imperii conformibus, eam inde eliminent (a).

XXXIV. Hactenus igitur præcipuas res & causas, de quibus publicè deliberari in Civitatibus solet, explicavimus; quæque in iis Ordinum Imperii potestas sit, ostendimus. Quod autem deliberandi modum, atque adeò ipsius Senatus constitutionem, item cœteras Reip. partes, Magistratus, & Iudicia, attinet; facilè apparet, horum institutionem non ad Imperatorem, aut universum Imperium, sed ad singulas regiones spectare. Magis enim ad singularum regionum, quàm universi Imperii salutem pertinent. Neque ullibi meliùs, quàm in singulis regionibus Civium facultas, virtus, fides & industria explorata sunt, quod, ut homines idonei Reip. præficiantur, utique necessarium est (b). Itaque Concilia provincialia convocare, ad Superioritatem Territorialem referunt (c). Hoc enim ad eam partem Reip. quæ Senatus vocatur, pertinet. Similiter Magistratus & Iudicia constituere, & Magistratus ex causâ ab officio removere, Superioritatis Territorialis est [d]. Loquimur autem de Magistratibus, qui in singulis Regionibus constituuntur, inferioribus. Nam ipsos Principes, Duces & Comites creare ad Iura Imperatori reservata pertinet. Hoc enim ex antiquâ Republ. [quippe olim magistratus regni erant, qui à Rege planè dependebant] retinuimus. Quanquam autem partium Reip. institutio in singulis Regionibus, non per universum Imperiũ fiat: quoad custodiam tamen Legum, & Consuetudinum, quibus singulis locis constat, animadversioni Imperatoris obnoxia est. Si enim in quâcunque parte Iura ac Leges violent illi, qui Reip. præsunt, parti læsæ querelam ad Superiorem deferre & jure experiri licet. Multæ controversiæ de Reip. constitutione, de magistratus alicujus abdicatione, ex Civitatibus Imperialibus præsertim, ad Imperatorem & Iudicia Imperii deferuntur. Ibi enim, ut inter æquales, Respubl. legibus composita est. In Principum ditionibus hoc minùs frequens est. Nam pleraque officia non tam à Legibus, quàm à solo nutu eorum dependent. Quasi Regiam enim pote-

(a) R.A. zu Regenspurg an. 1594. §. darneben sollen.

(b) Arist. l. 7 Pol. cap. 4.

(c) Gail. de arr. n. 7. c. 14 Knich. de jure territ. c. 3 n. 312.

(d) Meisch. tom. 1. lib. 2. dec. ult. n. 120. & seqq. Reink. de reg. sec. & eccl. lib. 1. clas. 5. c. 4. n. 103.

potestatem habent. Reges autem favore & benevolentiâ æstimant, quos ad Reipubl. administrationem adhibent. *Nam qui eorum Imperio & ipsis amici sunt, hos imperii socios faciunt*, inquit Aristoteles [a]. Amicitia autem leges non habet. Itaque à Principe abdicatus de injuriâ conqueri non potest. Atque hæc inter Civitates Imperiales, & Principum Regiones differentiæ ratio est. Ex eâdem ratione fluit differentia, quæ inter Iudicia & reliquas Reip. partes est. Nam magistratus, qui non Jurisdictioni, sed aliis rebus curandis præfecti sunt, item illi, qui ad summa Reip. consilia adhibentur, in ejusmodi ferè rebus versantur, quæ legibus definitæ non sunt. At judicia omnia ex legibus fiunt. Judicia igitur Regionum Imperii magis cognitioni & correctioni Imperatoris subjecta sunt, quàm reliquorum magistratuum civilium functiones. De judiciis igitur Ordinum Imperii ampliùs agendum, & quatenus libera ac ἀνυπεύθυνα sint, vel econtrariò quatenus superiori Imperatoris Jurisdictioni subjaceant, & quibus ex causis ita se habeant, quærendum est.

XXXV. Est enim Jurisdictio inter præcipuas Superioritatis Territorialis partes, adeò quidem ut ipsa Superioritas vulgò non aliter soleat vocari, quàm Jurisdictio [b]. Jurisdictionem igitur Ordines Imperii jure proprio, non vicariâ operâ exercent: & longè veriùs quàm veteres magistratus Romani [c], suo jure, non alieno beneficio eam habere dicuntur. Divisâ enim administratione publicâ, singulæ partes suo munere tanquam proprio funguntur; secus ac in veteri Imperio Romano, ubi, quoniam planè Monarchicum erat, omnia ab uno dependebant. Longè aliam igitur faciem hodie jurisdictio habet, quàm jure Romano. Nam jure Romano Imperatori causas ab inferioribus judiciis ad suam cognitionem avocare [d], vel cuicunque alii voluerit, delegare licet [e]. Hodie autem Imperatori inferiora Ordinum judicia in primâ instantiâ turbare non licet [f]. Jurisdictio enim primæ instantiæ proprium Ordinum officium est, non Imperatoris. Et hoc est, quod vulgò dicunt, Imperatorem non habere hodie concurrentem jurisdictionem cum inferioribus Iudicibus [g]. Quantumvis autem Iurisdictio Ordinum Imperii planè propria sit: nihilominus tamen censuræ Imperatoris subjacet.

(a) lib.5. Polit. cap.16.
(b) Matth. Steph. de jurisd. l.2. p.1. cap.7.
(c) l.5 ff. de jurisdict.
(d) L.58. ff. de judic.
(e) l. un. C. qui pro suâ jurisd. jud. dar. Gail. 1. obs. 41.
(f) Ord. C.I. p.2. t.1. & t.5 §. vñ soll sonsten. & tit.8. §. wo sich aber.
(g) Reink. d. regim. sec. lib.1. class.5. cap.6. n.12. & seqq.

XXXVI, Notandum igitur Iurisdictionem Imperatoris (quò etiam nunc refero Austregas, quippe qui, ut delegati Cæsaris [a], hodie judicant) & Cameræ Imperialis duplicem esse, Prima est, quando vel personæ, quæ conveniuntur, ipsi scilicet Imperii Ordines, aliíve nullo medio Imperatori subjecti, vel causæ, de quibus agitur, licèt Ordinum subditi ex his causis conveniantur, ἀμέσως ad summorum Imperii Judiciorum cognitionem spectant (b). Causæ illæ sunt, vel quæ non tam unius Regionis, quàm universi Imperii salutem & tranquillitatem concernunt, cujusmodi sunt causæ violatæ Pacis publicæ [c], & Fiscales, [d]; vel verò quæ ita comparatæ sunt, ut in inferioribus Regionibus ab Ordinario, vel omninò nō, vel nō satis commodè possint dijudicari: si, verbi gratia, Jurisdictio loci inter duos vicinos litigiosa sit, ut nescias quem adire debeas (e), si plures rei diversis dominis subditi conveniantur, vel res in diversis regionibus sitæ petantur. Tunc enim causæ continentia, quæ magno incommodo divideretur, ad judicem omnibus superiorem nos ducit (f). Hæc igitur prima est Jurisdictio Imperatoris, quâ, si vel optimam, ut fingi poterat, Remp. haberemus, nihilominus opus foret.

a) Ord. Cā. p.2.tit.2. Matth. Steph. de jur.l.2.p.1. c.3.m 3.inf.
(b) Ordin. Cam p.2.t. 2.& seqq.
c) Ord. Cā. p 2.t.9.
(d) ibid.t.20
(e) Roding. Pand.Cam. lib.1.tit.4. n.30.
(f) Gail.1. observ.32.

XXXVII, Altera Jurisdictionis Imperialis species est, quâ quasi censurâ quâdam inferiorum Iudiciorum errata corrigit, eorundemque defectus supplet. Hoc genere, si inferiora Judicia in singulis Regionibus ex voto constituta essent, non foret opus, vel certè non æquè, ut hodie. Nunc autem hæc pars Reipubl. multis locis vehementer laborat. Ipsa sanè novissima Imperii Constitutio (g) innuit, querelas de inferioribus Iudiciis vulgò circumferri, als weren dieselbe im Reich hin vnd wieder dermassen übel besetzt / daß man sich bey jhnen in rechtlichen vnd anderen wichtigen Sachen einer gleichmässigen Billigkeit jeweilen nicht zu versehen habe / vnnd dahero ans Cammer-Gericht zu appelliren getrungen werde. Inde igitur causa, quare ab inferioribus Oridnum Iudiciis ad Iudicia Imperii provocatio danda sit, satis perspicua est. Non autem imperitiâ tantum, sed multis etiam aliis modis in inferioribus Judiciis peccatur. Neque hæc nova est querela, nec nostrorum temporum propria. In ipsa S.Scripturâ nihil frequentius, quàm Vates divinos

(g) R.A. zu Regenspurg an.1654.§. wie aber zu verhüten.

increpare Jud'cum iniquitatem & avaritiam. In omnibus penè actionibus Ciceronis hæc ferè solennis præfatio est, de judicum socordiâ, sordibus & infamiâ. Quid mirum eodem morbo nostras etiam Respubl. affligi? Hâc igitur de causâ inferioribus Iudiciis summa Imperii Tribunalia quasi frena quædam imposita, quibus illa in officio contineantur. Et quemadmodum multa in Ordinum Imperii potestate sunt, quæ per Rempubl. Imperii, si illa rectè constituta esset, rectiùs curarentur, ut suprà explicavimus: ita contrario modo Jurisdictio Ordinum Imperii minùs libera, & provocandi potestas ad summa Imperii tribunalia nonnihil laxior est, quàm necesse esset, si inferiora judicia omni labe carerent. Iam igitur quot modis causæ ab inferioribus Judiciis ad Judicia Imperii devolvantur, facilè colligere licet.

XXXIIX. Judex vel planè non facit officium, vel facit quidem, sed perperam. Hæc ratio est, quòd causæ ad inferiora Judicia pertinentes in Camera Imperiali, vel primâ instantiâ, vel secundâ recipiantur. Si enim planè judex deest officio, statim primâ instantiâ Superior adeundus: sin fungatur quidem officio, sed malè fungatur, alterâ demum instantiâ ad Superiorem pervenitur. Non facit autem judex officium, vel quod nolit, aut negligat; tunc nascitur causa protractæ, vel denegatæ justitiæ (a); vel quod non possit esse judex aut omninò, aut quoad eam causam, de quâ agitur; si scilicet non idoneus sit ad judicandum, aut suspectus ob odium, aut favorem erga alterutrum litigantium, aut affectum erga causam. Ex his igitur duabus causis, protractæ, vel denegatæ justitiæ, & suspecti judicis, lites ab inferioribus judiciis ad superiora primâ statim instantiâ trahuntur. Quod autem causam judicis suspecti attinet; quanquam jure cautum sit, ut, si quis reus fiat coram suspecto judice, recuset eum exceptione propositâ, & arbitrum petat (b): his tamen ambagibus, cum judex actori suspectus est, opus non est. Potest enim rectà superiorem adire, eique expositâ & probatâ suspicionis causâ, actionem petere (c): quo casu, si res adhuc quodammodo dubia videatur, jurejurando asseverare potest, se nullum in inferiori judice justitiæ spem habere (d). Unde iuramentum perhorrescentiæ vocatur, cuius iuramenti in Camerâ Imperiali ab actore quodam in duabus

(a) Ordin. Cam p. 2. tit. 26.
(b) Gail. 1. observ 33.
(c) Tennagel de decern. proces clas. 3 cap. 13.
(d) Mynf. cent. 3. obs. 58. Rosent. d feud c. 12 cōc. 4. n. 63. Rauchb. l. 2 q. 3. n. 31. Grav. ad ad Gail. l. 7. concl. 28. concl. 1.

bus causis præstiti recens exemplum extat. In causâ etiam H. contra S. cùm actor in iudicio possessorio Cameram appellasset, eaque causa non devoluta pronuntiaretur, statim tamen petitorium in Camerâ Imperiali, omisso Iudice inferiori, quem suspectum & causæ participem dicebat, instituit, & actionem impetravit: exceptiones etiam fori non competentis oppositæ per sententiam reiectæ sunt (a). Hactenus de primâ instantiâ.

XXXIX. Quando autem Iudex iudicat quidem, sed malè iudicat, tunc demum secundâ instantiâ Iudex superior imploratur, vel per querelam Nullitatis, quando judex legitimo processu usus non est, aut contra jura constitutionum manifestò judicavit [b]; vel per appellationem, quando judex in applicandis legibus, aut cognitione facti errore lapsus, aut dolo versatus est. Locum etiam actio syndicatus habet, quâ judex litem suam fecisse dicitur, ut damna & id quod interest parti læsæ restituat [c]. Sic in causâ D. contra P. Senatus Civitatis cujusdam Imperialis appellanti in subsidium condemnatus fuit [d]. Quin Iudex Cameralis inferiorem, cujus dolum, vel latam negligentiam deprehenderit, ex officio punire tenetur (e). Undè in causâ *H.* contra *H.* cùm Iudicium Aulicum Principis hæretico cuidam ex eorum numero, qui jurare nefas putant, gratificatum, loco juramenti calumniæ ipsi delati, ad veritatem fide boni viri dicendam eum admisisset; causâ ad Cameram Imperialem delatâ, Senatus decreto hanc addidit clausulam: Vnd sollen die acta dem Kåyserlichen Fiscal, sich seines Ampts zugebrauchen / zugestellet werden (*f*). Item in causâ S. contra M. Consiliarius quidam Comitis, (wegen seiner bey der Sachen verübten vngebühr / sic enim habent verba sententiæ) marcâ auri multatus fuit (*g*). His igitur modis causæ ad Tribunalia Imperii ab inferioribus Ordinum Iudiciis devolvuntur. Addunt autem Restitutionem in integrum (*h*), & quidem autoritate juris Romani, ut putant. Benè an secus, nunc non disputo.

XL. Quoniam autem causæ leves non æquè magnam desiderant curam, ac graves (*i*): quâ de causâ etiam in Civitatibus Iudicia levium & gravium causarum distingui [*k*], & majori, vel minori curâ

(a) 8. Mart. anno 1659.
(b) t. tit. ff. quæ sent. sin. appell. resc. & t. C. quando pro voc. non est necess.
c) Gail. 1. obs 153.
d) an 1658. 18. August.
(e) R. R. zu Regenspurg an 1654. §. wan sich auch.
(f) 7. Iun. 1659.
g) 17. Febr. 1660.
(h) R. A. zu Speir an. 1570 §. Ebener massen. Mynf. 2. observ. 15.
i) L. 32. §. 7. ff. d. rec. arbit. auth. Nisi brev. C. de sent. ex peric. recit.
k) Arist. l. 4. Polit. c. ult.

curâ institui solent; hinc adeò non necesse fuit, promiscuè provocandi licentiam dare, sed certâ quantitate eam circumscribere consultum visum. Et Ordinatione quidem Camerali (a) appellatio vetita, nisi æstimatio litis esset ultra L. florenos; quæ summa aliquoties aucta, nunc ad cccc. imperiales excrevit (b). Sed cùm non omniũ Ordinum Imperii eadem ratio sit; si quidem alii aliis meliùs judicia sua instituerunt; quoad autoritatem etiam magna inter eos differentia: non potuere omnium Iudicia quoad provocationem eâdem lege censeri. Plerisque igitur certa privilegia concessa, quibus & certa summa definitur, & aliis quibusdam modis appellandi licentia coërcetur (c). Quin à quibusdam veluti ab Archiducibus Austriæ, à Rege Succiæ, quatenus Princeps est Imperii (d), item ab aliis nonnullis (e), nulla planè appellatio datur. Imprimis hoc privilegium Electoribus conceditur Constitutione Caroli IV. (f); quod tamen illi, Saxone & Brandenburgico exceptis, spontè subditis remiserunt; nunc autem, Trevirensi excepto, per nova privilegia quasi postliminio recuperarunt. Coloniensis tamen hoc iterum remisit, eò quod causarentur Ordines Provinciales, sumtus ad Iudicium Revisorium, quali opus foret, constituendum sibi nimis graves fore. Quòd satis argumenti est, hâc de causâ, ut suprà diximus, aliquantò liberiorem dandam fuisse provocandi potestatem, quòd inferiora judicia ita constituta non sint, ut summa potestas iis tutò committi possit. Ex capite tamen denegatæ justitiæ etiam ab Electoribus provocatio datur (g). De querela nullitatis quæstio est. Alii enim eam recipi negant (h), alii contrà affirmant (i). Fortassis distinctione controversia conciliari posset. Aliæ enim Nullitates evidentes sunt, &, ut in foro loquuntur, insanabiles (k); aliæ in apicibus Iuris consistunt (l). Sed nos in medio relinquimus.

XLI. Quæ hactenus diximus, præcipuè ad Iurisdictionem Ordinum Imperii Civilem pertinent, quæ in quantum Imperatoris & Cameræ Imperialis censuræ subjecta sit, exposuimus. In Criminalibus autem judiciis, antiquâ Germaniæ consuetudine, si pœna, quæ corpus affligat, statuta sit, appellare non licet (m). Ergo penè summa

a) p. 3. t. 28. §. darzu.
(b) R. A. zu Regenspurg an. 1654. §. viert. soll die sum.
c) Roding Pand Cam. lib. 1. tit. 20.
d) Instrum. Pac. Cæs. Suec. c. 10. §. deinde.
e) Rumel. ad aur bull. p. 2. diss. 2. th 4.
f) Aur. Bull. tit. 11.
g) dict. t. 11. Aur. Bull.
h) Knich in comm. de Sax. non prov. jur. ad verb. jus. c. 2. n. 45.
(i) Gylm. t. 3. fol 274. Thom. Mich. de jurisdict. concl. 26

(k) R. A. zu Regensp. an. 1654. §. Bey diejenigen. (l) Gail. 1. obs. 42. n. 4. (m) Ordin. Cam. part. 2. tit. 28. §. Item nachdem auch. R. A. zu Augspurg anno 1530. §. Item als ietzliche zeit.

n his Ordinum potestas videtur. Hoc verò mirum videri potest. Longè graviores enim sunt causæ Criminales, quàm Civiles: ergo exactius etiam judicium requirere videntur. Nunc autem quibus summum de bonis fortunæ judicium committi non satis tutum putamus, iis tamen in caput & tergum animadvertendi potestas est, ita ut nullum contra eos sit appellationis auxilium. In quo planè recessisse videmur à jure Romano, quo potestas appellandi in Criminalibus longè laxior est, quàm in Civilibus. Nam *non tantùm*, inquit Ulpianus, (*a*) *ei, qui ad supplicium ducitur, provocare permittitur, verùm alii quoque nomine ejus, non tantùm si ille mandaverit, verùm quisquis alius provocare voluerit*. Addit hoc ipso reo invito & resistente etiam fieri posse. Cur ergo nos in Criminalibus severiores sumus, quàm in Civilibus? Rationes differentiæ hujus quærendæ.

a) l. 6. ff. de appellat.

XLII. Primò manifestum utique est, toto cælo invicem differre Iudicia Civilia & Criminala. Nam qui in Civilibus ius dicit, inter duos litigatores de lucro & damno invicem certantes versatur, quos ipse, investigato iure, quod inter eos medium est, ad æqualitatem reducere studet (*b*). At Criminalium iudiciorum longè alia ratio est. Non enim ius litigantium quæritur, nec Iudex Criminalis inter duos semper ius dicit. Ex officio enim inquirit, etsi nemo actor sit. Sæpè etiam, etsi gravissimè peccatum sit, damnum tamen nemini illatum. Sæpè læso nullâ ratione satisfieri, damnumvé restitui potest. Non igitur, quod partium litigantium, sed quod Reipubl. interest, quæritur (*c*), & genus pœnæ investigatur, quod aptum est ad vitium, quo felicitas civilis impeditur, è Civitate tollendum. Longè maior igitur circa crimina coërcenda Reipubl. potestas, maius etiam illius, qui hanc potestatem habet, arbitrium est, quàm in iudicio causarum privatarum. Nam in causis privatis, cùm Iudex litigatores, inter quos iniquitas intercedit, exæquare studeat, omne eius arbitrium Iuri, quòd inter partes versatur, adstrictum est. Statim enim atque Iudex uni aliquid condonaret, alteri iniuriam faceret. Sed in Criminalibus quandoque intenditur, vel remittitur pœnæ modus. *Hodie*, inquit Ulpianus (*d*), *licet ei, qui extra Ordinem de crimine cognoscit, quàm vult sententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem, ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat.* Exasperatur autem

b) Arist. l. 5. Eth. cap. 7.

c) l. 9. §. 5. ff. de publ. & vectigal.

d) l. 13. ff. de pœn.

pœna

pœna cùm ex aliis circumſtantiis, tum ex utilitate Reipubl. *Evenit,* inquit ICtus a), *ut eadem ſcelera in quibusdam provinciis gravius plectantur, ut in Africâ meßium incenſores, in Myſia vitium; ubi metalla ſunt, adulteratores monetæ. Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoti ens, nimium multis perſonis graſſantibus, exemplo opus ſit.* Quemadmodum autem ex his cauſis pœna augetur; ita ex iisdem mitigatur, imò quandoque planè remittitur, & condonatur abſque cuiusquam iniuriâ b. Apparet igitur, circa crimina verſari poteſtatem aliquam à merâ Iurisdictione toto genere diverſam, terminos illius longè excedentem, nec Legibus æquè adſtrictam. Unde & iure civili Romano poteſtas puniendi maleficia non Iurisdictio, ſed merum imperium vocatur (c) & Ariſtoteles (d) poteſtatem vitæ & necis, exilii, publicationis bonorum potiùs ad Senatum & deliberationes de ſummâ Reipubl. ſalute, quàm ad Iudicia retulit. Quòd ſi igitur imperium circa crimina poteſtatem iudicandi excedit, & ultra ea, quæ legibus definita, conſulcandi poteſtatem habet; ſequitur, nec iudiciali cenſuræ, cuiusmodi appellatio eſt, æquè ſubiici poſſe, ac Iurisdictionem Civilem. Nimirum principaliter ſingularum regionum intereſt, ut à facinoroſis hominibus purgentur. Poteſtas igitur puniendi maleficia, moderandi, & ex causâ remittendi pœnas Superioritatis Territorialis eſt, non ſummi Imperii. Quòd ſi appellatio daretur, poteſtas hæc ab Ordinibus ſingulis ad ſummum Imperium traheretur. Non poteſt, autem, qui univerſi Imperii curam gerit, æquè benè iudicare, quid ſtatus ſingularum regionum exigat, ac illi, qui has unicè curant. Civilium cauſarum alia ratio eſt. Ex iure enim, quod inter privatos intercedit, diiudicantur. De hoc autem etiam Superior iudicare poteſt. Faciliùs igitur in Civilibus Iudiciis appellationi locus dari potuit. Nec adeò magni interfuit Ordinum, ſummam horum poteſtatem ad Imperium trahi, quoniam ſingulorum privatorum utilitatem ſpectant. At in coërcitione criminum præcipua vis conſiſtit Imperii illius, quo Civitas regitur. Hâc igitur parte imminutâ, unus ex præcipuis imperii civilis nervus inciditur. Hæc prima & præcipua differentiæ huius inter Civilia & Criminalia iudicia ratio eſt.

XLIII. Accedit altera, quòd præcipuum, quò poteſtas coërcendi

a) l. 16. §. 9. & 10. ff. eod.

b) l. 2. & 3. C. de gen. abol. Grot. de jur. bell. & pac. l. 2. c. 20. n. 21. & ſeqq.

c) l. 3. ff. de jurisdict.

d) lib. 4 polit. cap. 14.

cendi crimina subsistit, vis quædam & prompta executio sit. Judex enim Criminalis instar Medici est, qui investigato morbi genere contraria remedia applicat, interdum etiam incurabile membrum planè abscindit, ne pars sincera trahatur. Sic magistratus contrarios vitiosis affectibus dolores infligit, vel planè è medio tollit hominem incurabilem, quò cœteris terrorem incutiat (a). Quemadmodum igitur in curatione morborum Medicum in tempore venire omnium primum: sic in coërcendis criminibus sæpe prompto & tempestivo remedio opus est, ne malum contagione serpat. Quòd si autem per appellationem iterum atque iterum de eodem crimine quærere liceret, vis meri imperii planè enervaretur, & fortassis ex mero imperio merus lusus fieret. Clarum hoc fiet, si objectionem ex jure Romano paulo antè motam consideraverimus.

a) Arist. l. 10 Eth c. ult.

XLIV. Sanè enim initio liberæ Reipubl. coacti fuere Consules populo fasces submittere, & provocationem à se concedere. Sæpè tamen ea inciderunt tempora, ut hâc licentiâ datâ non potuisset stare Resp. Itaque quotiescunque gravius periculum immineret, Dictatorem dicebant, à quo non erat provocatio. Postea autem Quæstionibus perpetuis constitutis, damnatis reis planè non licuit appellare. Argumento est, quòd Cicero primâ Philippicâ in eo M. Antonium reprehendit, quòd tulisset, ut de vi & Majestate damnati ad populum provocarent, si vellent. *Hæc*, inquit, *utrùm tandem lex est, an legum omnium dissolutio?* Et postea: *id agitur, id fertur, ne quis omnino ijs legibus reus fiat.* Imperatores autem, cùm omnium magistratuum potestatem ad se traherent, laxàrunt facultatem appellandi, & tam a Præfecto Urbi, qui Romæ de criminibus cognoscebat, quàm à magistratibus provincialibus provocationem esse voluerunt [b]. Iterum autem necessitas eos coëgit, certis modis hanc licentiam restringere. Appellationem enim eorum, quos, statim atque damnati sunt, puniri publicè interest, item qui graviorum delictorum convicti, vel spontè confessi, recipi prohibuerunt [c]. Quod fortassis secutus Carolus Magnus est, inter cujus leges Capitulares hæc habetur [d]: *Homicidæ, adulteri, malefici convicti, si appellare voluerint, non audiantur.* Quæ lex quanquam in Galliâ in desuetudinem iverit (e); quoad Sicarios tamen Henricus I. Rex eam renovare coactus fuit, narrante Thua-

b) l. 29. C. de appellat.
c) l. 16. ff. de appell l 2. C quor. appellat. non recip.
d) Cap. l. 7. cap 129.
e) Wesemb. in parat. ff. de app. rec.

Thuano (a). Sed Germaniæ consuetudo hoc hactenus servavit, ut in criminibus, quibus pœna corporis statuta, nulla planè appellatio recipiatur (b); quod certè quoad provocationes ab Ordinibus Imperii ad Imperatorem, summis, quas exposuimus, rationibus nititur. An autem ab inferiorioribus Iudiciis, v. gr. Civitatum provincialium, vel Nobilium, ad Principes vel alios Superiores in causis Criminalibus provocare liceat, ut nonnulli statuunt (c), alia quæstio est, quæ ad hunc locum non pertinet.

XLV. Quantamcunque autem potestatem in pœnæ genere, modo, & mensurâ Ordines Imperii habeant; non tamen hæc adeò dissoluta esse potest, ut mero arbitrio aliquem punire possint. Nemo enim absque judicio damnandus. Judicium autem ordine legibus præscripto instituendum, quo non servato, judicium legitimum non est. Tunc igitur querela nullitatis locum habet, eaque in judiciis Imperii recipitur (d); non ut causa principalis ibi judicetur (hoc enim effectum appellationis haberet) sed ut actis, postquam ab inferiori Iudice edita fuerint, inspectis, summariè, de plano, absque litis contestatione & judiciario ordine, de processu saltem Criminali, benè an secus institutus fuerit, cognoscatur, ne per hoc executio Iudicii nequiter & malitiosè extrahatur. Quòd si igitur allegata nullitas appareat, nihilominus causa principalis ad eundem judicem remittitur, eique, ut legitimè secundum jus commune & Imperii constitutiones procedat, seriò injungitur (e). Quin etiam, quoniam sæpe res moram non patitur, & injuria evidens est, mandata extraordinaria quandoque decernuntur; quod olim quidem in controversiâ fuit, ut videre est ex relatione causæ D. Crellii contra Sachsen (f), hodie tamen satis certum est. Sic in *causâ P. contra O. mandati de relaxando captivo & procedendo secundum jura & constitutiones Imperij* S. C. Principi Imperii à Camerâ Imperiali mandatum fuit, ut captivum, quem tenebat, dimissum, Senatui urbis provincialis, qui oblata cautione hoc petebat, in custodiam traderet, & quæ hactenus perperam acta fuerant, irritis declaratis, ex præscripto Constitutionis Carolinæ processum iustitueret; imprimis autem non Consiliarios suos, quos reus suspectos arguebat, sed alios non suspectos judices daret: quod mandatum XIII. Decembr. anno CIↃ IↃ C LIX. acceptata

(a) l. 3. hist.

b) Gail. de pac. publ. l. 1. cap. ult. n. 36. Mynf. 4. obs. 41. n. 3.

c) I. Oldek. de appell. in caus. cri. contra Carpzov.

d) Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. It. nach dem auch Mynf. 4. observ. 42.

(e) Gail. 1. obs. 1 n. 27 Gilm. to. 1. p. 2. tit. 18. vol 2. Ruland. de comm. p. 1. lib. 2. c. 13.

(f) Kloc. rel. 140. n. 10. & n. 46.

ptatâ partim paritione, partim quoad illa capita, in quibus nondum obtemperatum fuerat, pœnæ comminatione, per sententiam confirmatum fuit. Sed de Iurisdictione Ordinum Imperii tam Civili, quàm Criminali, nec non de causis, quare altera magis, altera minùs cognitioni Imperatoris & Cameræ Imperialis subjecta sit, satis dictum est. Quanquam enim plura de materiâ illâ dici possent; siquidem plures adhuc aliæ sunt causæ, in quibus appellare non licet: nostrum tamen institutum non patitur, istæc recensere.

XLVI. Hactenus igitur secundum tres illas partes Reip., in quibus ex doctrinâ Aristotelis Summa Potestas Civilis consistit, administrationem Regionum Germaniæ consideravimus, & quid ex iis, vel ad Imperatoris & Imperii, vel ad singulorum Ordinum potestatem spectet, ostendimus. Neminem nunc ampliùs latere potest, quâ ratione, licèt Regiones Germaniæ Imperio subsint, peculiaris tamen in singulis Civilis societas & Respubl. consistat, cùm in omnibus Reip. partibus propriam quandam autoritatem habeant. Qualis etiam potestas sit Superioritas Territorialis, quámque cum Juribus Majestatis analogiam habeat, satis nunc manifestum est: & propterea cœtera, quæ ab aliis eò referri solent, quoniam minoris momenti sunt, non opus est hîc attingere.

XLVII. Consequens est, ut videamus, quinam ejusmodi potestatem habeant, an omnes Imperii Ordines, vel omnes immediatè Imperio subjecti, an quidam tantùm, & prætereâ quânam formâ Respubl. utantur. Quoniam enim in Regionibus Germaniæ peculiares quædam Resp. inferiores constitutæ sunt, in quarum, ut diximus, administratione Superioritas Territorialis versatur, utique etiam forma earũm Rerump., si quid forte generaliter dici de eâ potest, consideranda est. Quod igitur quæstionem illam, quinam habeant Superioritatem Territorialem, attinet; Principes quidem Seculares & Ecclesiasticos, nec non Comites & Barones, qui quidem Ordines Imperii sunt, eam habere, non est dubium. At Civitates Imperiales, & Liberi Equites controversiam eâ de re patiuntur. Præterea in formâ Reip. haud exigua etiam differentia intercedit. Longè enim àliter in Civitatibus Imperialibus Resp. instituta est, quàm in Regionibus Principum. In Liberis verò Equitibus vix ve-

ſtigia quædam Reip. alicujus occurrunt. Fortaſſis igitur hæc diverſitatis ratio in Rep. occaſionem aliquam præbuit alteri illi controverſiæ, quæ de Superioritate Territoriali movetur. Antequam igitur has quæſtiones attingam, de Principum Regimine dicendum eſt.

CAPUT IV.

DE REGIMINIS QUO PRINCIPES GERMANIÆ DITIONES SUAS ADMINISTRANT, SIMILITUDINE CUM IPSIUS IMPERII VETERI VEL HODIERNA REPUBLICA.

I. In Regimine Principum, ſi animum advertamus, miram quandam ſimilitudinem cum ipſius Imperii adminiſtratione, præſertim qualis olim erat, deprehendimus, prout ſuprà in initio indicavimus. In inferioribus enim hiſce Rebuſpubl., quas Principes in ditionibus ſuis gubernant, adeò multa occurrunt inſtituta, quæ analogiâ quâdam ad Superiorem Imperii Rempubl. reſpiciunt, ut in partibus iſtis quaſi effigiem quandam totius corporis cernere videamur. Quoniam igitur hoc ſine dubio pertinet ad rationem illam, quâ inferiores Reſpubl. Superiori alicui ſubjunguntur; neceſſe eſt, ut hoc nunc aliquantò ſpecialiùs exponamus. Ante omnia autem cauſa ejus rei quærenda eſt. Tunc enim rem ſcimus, quando cauſam ejus novimus.

II. Cauſa autem analogiæ iſtius, quæ inter Regimen Principum, & Imperii Rempubl. intercedit, non poteſt eſſe obſcura, ſi conſideremus, unius gentis Civitates ſimilitudine quâdam & quaſi cognatione ingenii plerumque ad eandem Reip. formam per ſe ipſas proclives eſſe. Quòd ſi igitur in commune aliquod Imperium coaleſcant, vix aliter fieri poteſt, quin res communes eâdem formâ adminiſtrent, quâ ſinguiæ ſeorſim utuntur. Ita Civitates Achaïæ Democraticæ erant, quæ cùm arcto quodam & perpetuo fœdere quaſi in unam Civitatem conjungerentur, hujus quoque ſocietatis Rempubl. Democraticam fecerunt. Fœderatum Belgium etiam quando

coiit,

coiit, fœderis Rempnbl. singularum provinciarum administrationi quodammodo similem constituit. Sed nullum exemplum, ex quo Superioris & Inferiorum Rerump. similitudo elegantiùs eluceat, dari potest, quàm Coloniarum Romanarum, quæ teste Gellio (a), ipsius Romæ quasi effigies parvæ erant. Nam *ut Romæ*, verba sunt Onuphrii Panvinii (b), *erat populus & Senatus, sic novos colonos in Decuriones & plebem dividebant. Decuriones Senatus, plebs populi Romani imaginem referebat. Ex Decurionibus singulis annis duo, vel quatuor viri creabantur juxta Coloniæ magnitudinem, qui Duumviri, vel Quadrumviri juridicundo vocabantur. Hi Consulum Romanorum speciem repræsentabant. Creabantur insuper Ædilis, qui viarum, ædificiorum publicorum; item Quæstor, qui ærarii curam habebat.* Non omittendi erant Defensores Civitatis, qui Tribunos plebis repræsentabant [c]. *Atque hi*, sequitur apud Onuphrium, *erant præcipui Coloniæ magistratus: in cæteris omnibus more, legibus & institutis Romanis vivebant.* Notatu etiam digna sunt, quæ de Capuâ narrat Cicero [d], quomodo quasi æmulatione quâdam nomen ac pompam Prætorum specie Consulum Romanorum, Patres Conscriptos, lictores, fasces & plurima alia instituta urbis Romæ in Republ. suâ ostentaverit. Quanquam verò hæc potissimùm ad civilia & voluntaria Imperia pertineant, interdum tamen etiam in violentis locum habent. Nam Civitates potentiores, quum imbecilliores in potestatem redigunt, quò illas eo arctiùs sibi devinciant, hoc operam dare solent, ut, quoad ejus fieri potest, formam suæ Reip. in iis instituant; id quod observatum est Aristoteli [e]. Exemplum addit Atheniensium & Lacedæmoniorum, qui cùm de Imperio Græciæ contenderent, utrique Civitates Græciæ, quantum in ipsis erat, sibi conformare nitebantur: & Athenienses quidem, quâ parte victores erant, Democratias; contra Lacedæmonii, his eversis, Oligarchias instituebant. Eodem stratagemate in subigendâ Græciâ utebantur Romani. Quâ igitur ratione Superior & Inferiores Resp. conformes effici soleant, inde satis manifestum est. Nos nunc hæc ad Germaniam nostram accommodemus.

(a) l. 16. c. 13.

(b) Reip. Rom. commentar. l. 3. cap. de jure Coloniarū.

(c) Guido Panzirollus lib. de magistratibus municipalibus, c. 9.

(d) in orat. de lege Agrariâ cont. Rullum

(e) lib. 5 Polit. cap. 7.

III. Quod enim paulò ante diximus, universam sæpe gentem licèt in varias Civitates dispersa sit, ingenii cognatione ad unam

quandam Reip. formam ferri, id utique cernere licet in veteri Germaniâ. Olim enim, cùm nationes Germanicæ nondum uno aliquo Imperio continerentur, sed singulæ Civitatem suam seorsim administrarent, nihilominus Respubl. inter se similes habebant, quarum formam descriptam nobis reliquit Tacitus. Quamvis autem autem deinceps à Francis sub unum Regnum cogerentur, plurima tamen instituta, quibus antea in separatis Rebuspubl. usæ fuerant, in Regni administrationem traduxerunt; id quod vetus Francorum Regnum cum Republ. Germaniæ à Tacito descriptâ conferentibus manifestum erit. Postea iterum mutatio facta, cùm Principes Imperii Regiones, quibus hactenus Imperatoris & Imperii nomine præsederant, sibi possidere, suisque auspiciis regere coeperunt; sic tamen, ut in hoc etiam administrationis genere antiqua instituta retinerentur. Ex Regno igitur ad eum modum in varios Principatus disjuncto, plura quasi minora Regna prognata sunt, quæ antiqui illius Regni, cujus propagines sunt, administrationem magnâ ex parte retinuerunt, planè quemadmodum Coloniæ Metropoleos, unde egressæ sunt, Rempubl. retinere, ejusque imaginem referre solent, ut antè ostendimus. Addi & hoc potest, quòd qui Remp. mutant, omni studio anniti soleant, ut, quoad ejus fieri potest, novæ Reip. administrationem ad priscam ejus formam accommodent, vel si nihil ampliùs possunt, saltè speciem & imaginum antiquæ reip. retineant. *Non enim statim consueverunt homines immutari, & in alios mores commigrare*, inquit Aristoteles [a]. Nec novum est, ut idem monet [b], personas tantùm, quæ præsunt Reip. mutari, salvâ in cœteris pristinâ reip. formâ. Postquam igitur Principes ex administratoribus domini facti provinciarum, jura & munia Imperatoris in ditionibus suis usurparunt; eodem modo ac formâ regiminis, quò Imperatores hactenus usi fuerant, eas gubernarunt, ut quamvis in personis magna mutatio facta esset, in genere tamen administrationis nihil vel parum immutatum videretur. Hæ igitur causæ sunt, quòd Principes nostri quasi uno quodam, atque ipsius Imperii administrationi quodammodo conformi regimine utantur.

(a) lib. 4. Polit. cap. 5.
(b) lib. 5. Polit. cap. 1.

IV. Quoniam tamen etiam haud parum discriminis, hodie præsertim, inter Imperatoris & Principum administrationem intercedit;

cedit; ne quis inde ſcrupulus oriatur; pauca de antiquo Imperii ſtatu, ejusque mutatione præfari, adeoque totius arpumenti ſummam quandam exhibere oportet; quò & ſimilitudinem, quam deinceps particulariter exponemus, & differentias, earumque cauſas uno quaſi intuitu cernere liceat. Antiquū Germaniæ ſtatum ab eo uſq; tempore, quo in unum corpus coaluit, Regium fuiſſe, jam antè dictum eſt. Cœterùm Regnorum varii gradus & differentiæ ſunt, cùm alii Reges immenſam ac herilem, alii admodum exiguam, alii mediocrem poteſtatem habeant (a). Cum autem mediocritas omnium rerum optima ſit, ſine dubio in Regno quoque hæc ratio utiliſſima eſt, per quam nec Imperium Regium contemptui exponitur, nec libertati periculum creatur (b). Talis igitur poteſtas antiquorum Regum & Imperatorum noſtrorum erat. In Germaniâ enim nunquam regnatum fuit ultra libertatem, ut jam olim annotavit Tacitus. Non igitur Reges de omnibus rebus ſuo arbitratu, ſed de gravioribus negotiis, convocatis Comitiis, ex ſententiâ Ordinum ſtatuebant. Ordines autem erant primò Antiſtites Eccleſiæ, tum Proceres Seculares, denique Ordinis plebeii delegati. Quod autem conſtitutionem attinet Regum, quanquam alii ſucceſſione (c), alii electione (d) ad Imperium eos olim perveniſſe putent: dicendum tamen videtur, mediam viam in uſu fuiſſe, ita ut liberi Regum vel Imperatorum nec in Imperio ſuccederent, niſi ab Ordinibus probati; nec præterirentur, ſi Imperio digni eſſent (e). Quapropter moris etiam erat, ut Ordines à novo Rege, antequam fidem ei obſtringerent, ſolenniter ſtipularentur, juſtè eam regnaturam, & honorem, libertatem ac bona cuique ſua ſalva fore (f).

V. Hujusmodi ſtatus erat Reip. in Germaniâ eo tempore, cùm Duces & paulatim etiam alii Principes ad hoc faſtigium, quo hodieque cernuntur, ſuccreſcerent: eandemque illi formam adminiſtrationis ferè continuarunt. Imperium igitur, quod adepti ſunt, reſpectu ſubditorum Regium eſt; non tamen planè ſolutum & herile, ſed legibus temperatum, & quale aptum eſt ingenio gentis Germanicæ. Quapropter in deliberationibus de republ. etiam Ordinum Provincialiū ratio aliqua habetur. Antiqua enim Germaniæ conſuetudine, cùm opus eſt, ad Conventus vocantur, ut cum Principe conſilia con-

(a) Ariſt. l. 3. Pol. cap. 14.

(b) Ariſt. l. 3. Pol. cap. 15. in fin.

(c) Reink. de reg. ſec. & eccl. lib. 1. claſ. 3. cap. 2. n. 19.

(d) Lehman li. 2. Chron. Spir cap. 3.

(e) add H. Conrig. diſputat. de Septemviris.

(f) Lehman lib. 2. Chro. Spir cap. 4.

conferant. Distinctio ordinum eadem est, quæ olim in Imperio. Trium enim generum sunt, Ecclesiastici, Nobiles, & Urbium Delegati. Quod autem modum constituendi attinet; in eo sanè differentia inter Imperatorem & Principes introducta est. Nam Reges olim, non succedebant in Imperio, nisi Ordines autores facti essent, ut diximus. At Principes, quamvis priscis temporibus vel à Rege, vel in Comitiis parentibus surrogarentur, postquam tamen liberiorem hanc potestatem adepti sunt, non beneficio electionis alicujus, sed jure successionis ditiones suas obtinuerunt. Legimus tamen aliquando in controversiis de successione Principum motis Ordines Provinciales autoritatem aliquam sibi arrogasse. Post Adolphi Ducis Sleswici & Comitis Holsatiæ obitum quid contigerit, narrat Crancius, cujus verba adscribemus (*a*): *Princeps ille bonus, quum pervenisset vivendo ad annum Christi quinquagesimum nonum post mille quadringentos, finem fecit vivendi, nullo herede legitimo sui corporis relicto: pervenitq; res in contentionem de jure succedendi, inter Regem Daniæ Christiernum, germanâ sorore Adolphi natum, & Ottonem de Schowenborg Comitem, qui longiori quidem gradu distabat, sed tamen ex masculino latere in feudo credebatur præferendus. Sed tum, Proceres Holsatorum sui fecere arbitrii, quem vellent dominum, elegeruntque Regem Daniæ, ut fieret Comes Holsatiæ, datâ ingenti pecuniâ Ottoni, qui juri suo renunciaret.* Apparet sanè, Ordines Holsatiæ in successione Comitum suorum autoritatem ejusmodi sibi arrogasse, qualem Ordines Imperii olim exercebant in successione Imperatorum. Sed non est opus, quicquam ea de re dicere. Adeò certo enim jure successio Principum nititur, ut à nemine ampliùs in dubium vocetur. Quanquam autem aliqua hac in re differentia inter Imperatorem & Principes intercesserit: hoc tamen ex antiquâ Imperatorum Regumque constitutione reliquum mansit, quòd plerumque Principes etiam, cùm successionem adeunt, & subditos in verba sua adigunt, vicissim ipsis promittant, libertatem, jura ac privilegia omnia eis salva fore [*b*], prout in Regum & Imperatorum coronatione ab antiquissimo usque tempore moris fuisse, paulò ante notavimus.

(a) l. 11. Sax. circa finem

(b) Matth. Steph. de jur. l. 2. p. 1. c. 7. n. 263

VI. Ex his igitur, quanta olìm similitudo Principibus cum Imperatore in administratione Reip. intercesserit, manifesto liquet.

Sed

Sed hæc sequentia tempora immanè quantùm mutarunt. Autoritas enim Imperatoris, post Henrici IV. tempora, imprimis diuturno illo interregno, quod post Fridericum II. contigit, per bella civilia, & alias temporum injurias, imprimis cùm ab Romà fulminare cœpisset, penè in angustum redacta est (a). Pontifices enim Romani, ut viam sibi struerent ad universalem illam Monarchiam, quam spe & ambitione jam occupaverant, ante omnia necessarium putabant, Imperatori vires frangere, ut quod ab hâc parte obstaculi imminebat, è medio tollerent. Hinc igitur Episcopos ipsi subtraxerunt, inde Principes Seculares ad bella & seditiones stimularunt; quorum nonnulli hanc occasionem ex calamitate Reip. privatas sibi opes comparandi non inviti arripuerunt. Ipsi adeò Imperatores tandem stationem deseruerunt, & neglectâ Rep. privatæ rei studuerunt. Ita factum, ut dignitas quidem Imperatoria maneret, potestas autem fere evanesceret. Et certè nisi tractu temporis in Austriacâ familiâ aliquantum virium resumpsisset, vix nomen tantæ Majestatis reliquum haberemus. Pluribus hanc Reip. nostræ mutationem persequitur Julius Phlugius Episcopus Naumburgicus (b), ex quo pauca excerpemus. *Cum*, inquit, *ita comparatum sit, ut Respubl., non minùs quàm aliæ res humanæ, sint mutabiles, & harum, ut Plato inquit, conversiones naturales: profectò cùm diu & aliquot secula floruisset Imperium Germaniæ nostræ, ita tandem tulit casus rebus nostris infestus, ut post mortem Friderici II. idem duodeviginti annos Imperatore careret.* Interea cùm majores *nostri non haberent, cui parerent uni, optimam illam, de quâ egimus, Reip. suæ formam propè amisisse videntur. Quam etsi postea per Rudolphum Habspurgum Resp. recuperarit, non ita tamen, ut ante interregnum floruit.* Paulò pòst addit: *Quin ab eo tempore indies magis ac magis extenuata fuerunt jura atque vectigalia Imperatorum nostrorum, ut post Carolum IV. è publico nostro & vectigalibus Imperii non modò non nervos bellorum, sed ne pacis quidem subsidia ampliùs Imperatores nostri habuerint.* Pluribus deinceps exponit, quomodo hæc ratio potestatem Imperatoriam debilitaverit, & tantùm non planè convulserit. Factâ igitur in Imperio ingenti hâc Reip. mutatione; Ducatus tamen & cœteri Principatus sub tutelâ Imperii antiquam formam constantiùs retinuerunt: ut ita administratio Regia in Imperio quidem hodie longè remis-

(a) vid. H Conring. V. Ampliss. in præfat. ad Polit. Aristot.

(b) de Rep. Germ.

remiſſior, in Regionibus autem Principum vel eadem, quæ olim, vel etiam auctior ſit. Atque hæc adeò cauſa eſt, quòd poteſtas Principum poteſtati Imperatoris non exactè ampliùs reſpondeat, quòdque adeò multum diſcriminis inter eorum adminiſtrationem hodie intercedat.

VII. Præterea ut in Capite, ſic & in Membris Imperii mutatio facta. Nam inter Principes, Imperii eminere Electores, multarumque rerum adminiſtrationem per ſe ſoli, excluſis reliquis Ordinibus, exercere cœperunt. At in Ordinibus Provincialibus antiqua ſervatur trium Claſſium diſtinctio, quàm jam tum quidem ſuprà tetigimus, pluribus autem paulò inferiùs exponemus. Ex his fontibus plures aliæ differentiæ manarunt. Attritâ enim Imperatorum poteſtate, cùm parum in iis præſidii ſitum videretur, Ordines Imperii, ſi quam inter ſe controverſiam haberent, non ad judicium Imperatoris provocare, ſed in arbitros quosdā compromittere maluerunt. Hæc Auſtregarum origo. Circuli etiam inſtituti, ut cùm Cæſaris Imperium executionibus, & Pacis publicæ cuſtodiæ non ſufficeret, ipſorum Ordinum Imperii miniſterio hic defectus ſuppleretur. Quoniā igitur hæc & id genus alia inſtituta ſeriùs introducta ſunt, & ex deminutione Regii Imperii originem traxerunt; mirum non eſt, in regionibus Principum, in quibus vis Regiæ adminiſtrationis incolumis manſit, nihil eſſe, quod iis reſpondeat. Itaque adhuc hodie quidem in Imperio noſtro inter adminiſtrationem Univerſi & partium analogiam quandam animadvertimus; ſi tamen antiquum ſtatum reſpiciamus, longè ea perfectiùs apparebit.

IIX. Quid enim mirum, Reſpnblicas eandem pati fortunam, quam homines? Accidit enim naſci nonnullos facie ſimiles, morbo tamen, ætate, vel alio caſu ita immutari, ut planè difformes fiant. Colonias Romanas Reip. Romanæ parvas effigies fuiſſe, ſuprà expoſuimus. Sed hæc ſimilitudo, quæ ſpectato antiquo Romæ ſtatu ſatis clara eſt, poſteriorum temporum mutatione ferè obſcurata eſt. Quanquam enim reſpubl. romana plurimas mutationes perpeſſa, ab antiquo ſtatu longè receſſiſſet: Coloniæ tamen priſtinam formam retinebant; prout ex iis, quæ in Iure Romano de Decurionibus, Duumviris, & hujusmodi magiſtratibus aliis dicuntur, colligere eſt.

Simile

Simile quid igitur nostro Imperio accidit. Quanquam autem hæc ita sint, nonnulla tamen nova instituta ex Imperio etiam in regiones Principum derivata sunt; ideoque earum similitudo cum Imperio partim ex antiquo, partim ex præsenti statu spectanda est. Quoniam igitur res utique aliquantò specialiorem considerationem meretur; jam nunc comparationem istam per partes instituemus. Primò autem partes Civitatis, Imperantes & parentes, Principes, & Ordines Provinciales, deinde partes Reip. Senatum, Magistratus, & Iudicia considerabimus, & in singulis, quid cum Imperio simile habeant, videbimus. Nam Aristoteles etiam in Politicis (*a*) primò de Cive, deinde de Republ. agit. Et qui jus publicum nostrum tradiderunt, primò de Imperatore, tum de Ordinibus, denique de Comitiis & Iudiciis tractant. Hanc igitur methodum sequi oportet.

IX. Primò in Imperii Principibus statim sese offert analogia, quæ inter ipsos & Imperatorem est. Quid enim vulgò receptum, quid tritũ magis est, quàm *Principem in Territorio suo esse Imperatorem, & tantũ posse in ditione suâ, quantùm Imperator in universo Imperio* (*b*)? Infinitas penè autoritates in eâ sententiâ allegari videas (*c*). Cùm enim ex Veteribus nonnulli primo, ut fertur, autore Castrẽsi (*d*) hoc protulissent, mirè statim omnib. placuit, adeò ut nõ nemo (*e*) dicere ausus sit, nullum ferè librum à ICto conscriptum lucem vidisse, quin hoc axiomate ornetur. Alii tamen subtiliùs hoc examinantes, cùm plurimum discriminis animadvertissent inter Principum & Imperatoris potestatem, comparationem istam in dubium vocare cœperunt. Nonnulli deinceps vehementiùs invecti, non dubitarunt asseverare, dictum istud falsissimum, & crasso quodam errore receptum esse (*f*). Quidam etiam ab adulatoribus Principum confictum putant, & propterea receptum dicunt, quia gratum sit (*g*). Plerique horum Imperatorem longè plus posse putant in Imperio, quàm Principes in Territoriis: nonnulli tamen etiam certâ quâdam ratione Principibus plus tribuunt (*h*). Sed alii hujusmodi dimensionem proportionis, quæ inter potestatem Imperatoris & Principũ intercedit, instituere periculosum putant. Itaque consultius judicant, manum de tabulâ removere. Arcanum enim status aliquod, & quasi mysterium quoddam Politicum ibi latere putant (*i*). Alii denique mediam viam ingressi,

(a) lib. 3 ca. 1. & seqq.

(b) Gail. 1. de pac. pub. c. 6. n. 10.

(c) Reink. de reg. sec. & Eccles. l. 1. cl. 5. c. 6.

(d) Kloc. de contr c. 4. n 143.

(e) Warem. ab Ehrenb. de subsid. regn. c. 15. n. 15.

(f) Paurmeist. de jurisd. l. 2. p. 2 c. 4. n 70. Sixt. de Reg. l. 1. n. 121. Limn. de jur. publ. l. 4 c. 8

(g) Waremund. ab Ehrenb. di. loc.

(h) Dauth. ad l. fin. C. de pac. n. 16

(i) Kloc. disp. de contri. c. 8.

quod veteres isti generaliter dixerant, explicationibus quibusdam mitigare, & dissensiones Doctorum distinctionibus conciliare annituntur (a). Sed longum foret omnia afferre.

(a) Carpz de leg Reg. c. 1 sect. 13. n. 7. & seqq.

X. Quanquam autē tam variæ hâc de re dissensiones sint; ex iis tamē quæ à nobis dicta, facilè intelligitur, quid de cōparatione Imperatoris & Principū sentiendum sit. Quoniam enim, ut ostendimus, Principes potestatē, quam antea Imperatores habuerant, exercere, & Regiones eâdē ferè formâ, quâ Imperatores universum Imperium regebant, administrare cœperunt; quid tunc aliud dici potuit, quàm Principes quodammodo Imperatoris personam in ditionibus suis repræsentare? Quoniam autem deinceps in Imperio mutatio aliqua facta Reip.; similitudo istæc obscurior facta est, ut non æquè ampliùs, ac olim, in oculos incurrat. Quid mirum igitur hodie comparationem istam non agnosci à multis, vel etiam in controversiam vocari? Solent enim mutatione factâ in Rep. dissensiones inter homines etiam peritos oriri de iis, quæ ad Remp. spectant; dum alii antiquum, alii præsentem statum respiciunt. Nec tamen omnis planè similitudo inter Imperatorem & Principes exolevit. Quemadmodum enim Imperator universo Imperio, ita Principes ditionibus suis Regio quodam imperio præsunt; quippe Imperator Regem significat (b). Principes igitur in Territoriis suis instar Imperatoris esse, eo sensu intelligi potest, quo Baldus [c], dixit, Prncipes Alemanniæ esse quosdam Reges. At Reges non omnes æqualis potestatis. Alii enim plùs possunt, alii minùs (d). Similiter & Imperatores potestate differunt, quod antiquos Romanos cum hodiernis comparanti manifestum est. Non impedit igitur potestatis differentia, quò minùs Principes Imperatori, tanquam Regi nostro, comparari possint.

(b) 2. feud. 34.
(c) ad l. fin. C de test. milit.
(d) Aristot. lib. 3. Pol. c. 14.

XI. Cæterùm quoniam disputatio hæc subtilis magis, quàm utilis videri potest; quid ICtos moverit, ut comparatione istâ Imperatoris & Principum tam frequenter uterentur, explicandum est. Illi enim non tam similitudinem administrationis & formæ Reip., quàm ipsum jus & potestatem Reip. respexisse videntur. Versabantur enim in interpretatione Iuris Romani, atque illud ad nostram Remp. accommodare studebant. Occurrebant iis varia jura ad eum, qui Remp. regit, spectantia. Animadvertebant verò in partibus Imperii

perii nostri peculiares quasdam Resp. constitutas esse, secus ac in veteri Romano, ubi omnia sub una summâ Rep., quæ in manu Imperatoris erat, continebantur. Iura igitur nonnulla, quæ Imperatori tribuuntur ex eâ causâ, quòd Reip. præsit, etiam Principibus ex eâdem causâ tribuenda censuerunt, quandoquidem & ipsi peculiarem quandam Remp. regant. Quanquam autem hæc Resp. non summa sit, sed inferioris generis, analogiâ tamen quâdam ipsi summæ Reip. respondet, ut suprà ostendimus (*a*). Eâdem igitur proportione Principes Imperatori respondere videntur. Itaque ICti Principes instar Imperatorum quorundam considerarunt, atque ita de Imperatoribus Iure constituta ad Principes extenderunt. V. gr. Iura Fisci Romano Iure soli Imperatori competunt (*b*), quia in illius solius manu Resp. erat: at hodie singuli Principes proprium habent fiscum, quoniam singuli peculiari alicui Reip. præsunt (*c*). Item crimen læsæ Majestatis, quod Iure Romano adversus Imperatorem tantùm committitur, plerique ICti, eâdem ratione moti, etiam adversus Principes hodie committi statuunt [*d*]; licèt hoc crimen aliquantò inferioris gradus sit, ac illud, quod in ipsum Imperatorem committitur; quippe & Principum potestas non planè summa Majestas est, sed illius analogum qnoddam genus tantùm. Atque ita fortassis conciliari potest eorum sententia, qui hac in parte dissentiunt [*e*]. Non opus est plura exempla, quæ passim occurrunt, afferre. Satis enim, opinor, manifestum est, quod ICti dixerunt, Principem quemlibet in Territorio suo tantùm valere, quantùm Imperator in universo Imperio, id eos ita intellexisse: quemadmodum Reip. Imperii præest Imperator, ita Principes in suo singulos Territorio inferiori cuidam Reip. præesse, & propterea, cùm officio Imperatoris in Imperio respondeat officium Principum in Regionibus Imperii, jura quædam Imperatoria etiam ad Principes accommodanda esse. Et certè si cœteras loquendi formulas, quibus utimur, consideramus, mirum videtur, hoc in dubium vocari. Tribuimus enim Principibus Superioritatem Territorialem. At Superioritas Imperatoria quædam potestas est. Potestatem enim, quam Imperator in Imperio regendo habet, Superioritatem Imperialem vocamus, Käys. Hoheit (*f*). Superioritas igitur Territorialis ex similitudine Superioritatis Imperialis nomen acce-

(a) cap. 2.

(b) § 9. l. de usuc. l. 3. C. de quad. præsc.

(c) Matth. Steph. de jurisd. l. 2. p. 1. c. 7. m. 1.

(d) Bocer. de crim. læs. Majest. c. 3. n. 76. Carpz. in prax. Crim. p. 1. q. 41. n. 66. & seqq.

(e) Mynf. 5. Obs. 41.

(f) R. A. zu Regenspurg. Anno 1676. §. weiters setzend. add. Wehn. verb Reservaten und Hoheiten.

accepit. Tribuimus etiam Principibus regalia. Hæc autem Imperatoris Iura Regia sunt. Si igitur jura & potestatem quandam Imperatoriā Principibus in regionibus ipsorum attribuimus, cur vereamur dicere, eos in ditionibus suis instar Imperatoris esse? At enim, inquiunt, hæc tamen potestas Principum non planè summa est, quemadmodum Imperatoris in Imperio. Sed quis credat, ICtos adeò fatuos fuisse, ut Principes planè summos Imperatores, & exactè ejusdem cum ipso potestatis esse dicerent. Quod cuivis ex vulgo obvium est, homines doctos latere non potuit. Potestatem igitur proportione, non specie eandem intellexerunt. Eòdem tendunt illi, qui dicunt [a], *Principes posse in suo, quod Imperator in universo, similitudine juris, non paritate & plenitudine potestatis.* Hæc igitur mens est ICtorum, qui dicto isto tam frequenter usi sunt. Quæ etiam ejus utilitas sit, ex his liquet. An autem, quod de Principibus dictum, etiam in Civitatibus Imperialibus locum habeat, adeò ut illæ etiam tantùm in urbe & Territorio suo possint, quantum Imperator in Imperio, quod, cum ob diversitatem administrationis aliquantò difficilius videatur, à nonnullis negatum est; eâ, inquam, de quæstione infrà dicetur.

XII. Nunc ab Imperatore ad Ordines pergamus. Ordinibus igitur Imperii Ordines provinciales respondere, ipsum nomen indicat. Status enim vocantur imitatione Germanici vocabuli, quo Stände dicuntur, quasi qui stationem in Republ. habeant. Illi igitur Status Imperii, Reichs-Stände / hi Status provinciales, Land-Stände vocantur. Qui autem Status Imperii dicendi sint, dubitatur. Nam plerique definitionem ex accidentibus componunt (b). Optimè omnium Paurmeisterus definitionem Civis Aristotelicam (c) secutus, Cives ac Status Imperii solâ τῆς ἀρχῆς πολιτικῆς κοινωνίας censendos putat [d]. Sunt igitur, qui jus suffragii in Comitiis Imperii habent, die Stimm vnd Stand in Reichs-versamlungen haben [e]. Similiter Status provinciales dicendi sunt, qui personam legitimam standi in Conciliis provincialibus habent. Atque inde differentia inter Status & subditos, qui Landsassen vocantur, intelligi potest. Subditi enim nomen generalius est.

(a) Reink de reg. se. & Ecc. l. 1. cl. 5. c 6. n. 169

(b) Gail. 1. obs. 21. Mat. Steph. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 4. n. 27. Reink. de reg. secu. lib. 1. clas 4. c. 1. n. 2.

(c) lib. 2. Polit. c. 1.

(d) de jurisd. li 1. c 8 n. 4.

(e) R. A. zu Augspurg anno 1548. §. wenn auch ein außgezogener.

XIII

XIII. Solet autem poteſtas ſuffragii in aliis quidem Rebuſp. perſonis attribui; in aliis verò certo quodam cenſu definitur [a]. In regionibus verò Principum Germaniæ jus Status provincialis non quidem certo quodam cenſu pecuniæ æſtimatur, nec tamen etiam mera dignitas perſonæ eſt, ſed cum certorum quorundam bonorum immobilium poſſeſſione cohæret. Reſpondent igitur hàc etiã in parte Ordines provinciales Ordinibus Imperii. Nam etiam jus ſtandi in Comitiis Imperii Territorio quodammodo connexum eſt (b). Fateor quidem hoc ipſum à nonnullis in controverſiam vocari, eò quòd indignum illis videatur, dignitatem Ordinum Imperii glebæ adſcribi [c]. Sed quid notius eſt, quàm in Imperii Comitiis ſuffragia territoriis numerari? Et ut taceam, Conſtitutione Caroli IV. Electoribus jus Electionis virtute principatuum adſcribi (d): noviſſima Imperii Conſtitutio Ratisbonenſis (e) obnixè inculcat, neminem, niſi ſufficienti bonorum ab Imperio nullo medio dependentium quantitate inſtructum, in Senatum Principum cooptari poſſe. Fortaſſis unus alterve eſt, qui jure ſuffragii in Comitiis Imperii gaudet, licet parum, vel nihil bonorum ab Imperio habeat. Sed paucæ exceptiones non infringunt regulam: & ſatis indignè ferunt reliqui Ordines, jure ſuffragii ſibi æquari illos, qui vix, quò pedem figant, in Imperio habeant; quâ de re querelæ non ſunt incognitæ. Sed diſputare hâc de re non eſt noſtrum. Annotare tantùm volui ſimimilitudinem, quæ inter Imperium univerſum & Regiones inferiores intercedit, in hoc, quod poteſtas ſuffragii in Comitiis & Conventibus non tantùm perſonæ dignitate, ſed & territoriorum ac bonorum certorum poſſeſſione cenſeatur. Nec latere poteſt differentia, quæ eſt inter haſce noſtras, & alias Reſpubl. Verbi gratiâ, Venetiis quilibet Patricius, ſtatim atque ad legitimam ætatem pervenit, jus habet Civis, publicæque poteſtatis particeps eſt. Admittitur enim ad Conſilium illud magnum, quod quaſi baſis eſt, totius Reipubl. (f). Ibi igitur jus Civitatis merè perſonale eſt. At noſtro in Imperio, licèt quis nativitate Princeps ſit aut Comes, perſonam tamen legitimam ſtandi in Comitiis non habet, niſi in Territorio ſucceſſerit. Similiter in Principum Regionibus, licèt quis natalibus nobilis ſit, niſi prædium Equeſtre obtineat, ad Regionis Conventus non vocatur. Quin accidit quandoque, ignobiles ejus generis

(a) Ariſt. l. 4. Pol. c. 4.
b) Bertram. de Cum. th. 40 Keinck de reg. ſec. lib. 1. claſ. 5. c. 10. n. 26.
(c) Limn. de jur publ lib. I. cap. 7. in addit ad n. 96. in fin.
d) Aur. bull. tit. 7. & 20.
(e) R. A. zu Regenſpurg anno 1654. §. über dieſes haben.
(f) Caſpar Contar. de Rep. Venet lib. 1. Donat. Ianot. dial. de Rep. Venet.

neris bona acquirere, eoque nomine in Equestris Ordinis cur à ad sententiam dicendam admitti. Prælatos etiam rerum magis, quàm personarum contemplatione Conventus provinciales obire ex iis, quæ paulò pòst dicentur, manifestum erit.

XIV. Quod verò Ordines Statuum attinet; in eo sanè differentia intercedere videtur inter Imperium & Regiones Principum. Nam in Imperio primo loco sunt Electores: altero Principes Ecclesiastici & Seculares, quibus Prælati, Comites & Barones accenseentur: tertio sunt Civitates Imperiales. At in Principum regionibus plerisque primò sunt Prælati, deinde Nobiles, tertiò Civitates provinciales. Verùm jam suprà monuimus, prærogativam illam Electorum posteriorum temporum consuetudine introductam esse. Alioquin olim eodem modo Ordines Imperii distinguebantur, ut hodie in Provinciis. Primò enim erant Ecclesiastici, deinceps Principes & Comites, ultimo loco Ordinis plebeii delegati(a). Durat horum trium Ordinum distinctio in Galliâ, quæ olim nobiscum eâdem Rep. comprehendebatur. Ad Comitia enim regni ibi conveniunt Clerus, Nobilitas, & tertius ordo, qui ex plebeiis constat [b]. Eodem igitur modo Status provinciales apud nos trium Ordinum sunt Prælati, Nobiles, & Civitates provinciales. Jam itaque ut singulas classes seorsim recenseamus, initium faciendum est ab Ordine Ecclesiastico.

a) Lehman. Chro. Spir. l.2.c.37.
(b) Limn. notit. Regn Franc. lib 7 cap. 1.

XV. Dubitari potest, quâ ratione Prælati Status provinciales censeantur, & ad Conventus provinciæ vocentur, maximè in Regionibus, in quibus adhuc Vetus Religio viget. Status enim provincialis subditus est: & in Conciliis provincialibus comparere subjectionem arguit (c). At ex suppositione Juris Canonici Clerici omnes planè exemti sunt imperio magistratus Civilis, & magistratui Ecclesiastico tantùm subjecti (d). Verùm quoniam hæc quæstio in Imperio decisa est, quærendum saltem est, quâ ratione Episcopi & cœteri Prælati Immediati Imperatori subjecti sint. Eâdem enim ratione sine dubio Prælati inferiores Principibus subditi habendi sunt,

(c) Gail. de arrest. c.7. n.14. & 1. obs. 21. n.15. Melsch t.2. decis. 3. n.7.
(d) c.1. & 2. c. si dilig. c. signif. x. de for. compet.

XVI. In Imperio autem nostro Episcopi duplicem personam sustinent, Episcopi nimirum, & Principis Imperii ob feuda & alia Regalia, quæ ab Imperatore habent: & ratione Episcopalis quidem mune-

muneris Pontifici, ratione Regalium autem Imperatori subditi censentur. Origo hujus distinctionis videtur esse ex transactione inter Henricum V. Imperatorem & Calixtum II. Papam initâ. Antea enim Episcopi non tantùm quoad dignitatem civilem Principis, sed etiam quoad sacrum munus, Imperatori subjecti erant; siquidem ipsum officium Episcopale ab eo accipiebant. Investitura enim per baculum & annulum, quæ ab Imperatore fiebat, collationem muneris Pastoralis significabat. Motâ autem hâc de re controversiâ à Gregorio VII. cùm Pontifices personas sacras magistratui Civili subjectas negarent, ideoque laicam investituram injustam contenderent; contrà vero Imperatores imperio in Episcopos, Regalium amplarumq; Regionum possessores, se abdicare nollent; hæc quasi media via inventa est, ut omissâ investiturâ per baculum & annulũ, imposterum Episcopus canonicè electus ab Imperatore per sceptũ Regalia acciperet, id est, ut sacro Episcoporum munere Imperatoris Jurisdictioni subtracto, Civilis tantùm eorum functio, Regaliumque possessio, Imperatori subdita maneret. Quanquam enim M. Antonius de Dominis (a) nudam cæremoniam remissam putet, jure in omnibus Imperatori salvo: attamen de re adeò levi tam acerbas fuisse contentiones; neutiquam credi potest. Nec putandum, parùm interesse, cæremoniæ, hoc, an illo ritu, peragantur. Nam cæremoniæ signa rerum sunt: & cæremoniæ mutatio rei ipsius mutatæ indicium est. Quod igitur loco annuli & baculi, qui Episcopalis officii signa sunt, sceptrum deinde ad investituram adhiberi cœpit, hoc significare voluit, Episcopos quoad officium Episcopale exemtos, id est Pontifici subditos esse, cæterùm Regalia, & ditionum Imperii administrationem, à potestate Imperatoris, quam sceptrum denotat, dependere. Atque hanc distinctionem hodierna Imperii consuetudo observat; quod pluribus ostendit Gailius, quem omnium vice allegasse sufficiat (b).

XVII. Jam igitur nihil impedit, quò minùs idem de Prælatis Mediatis dicamus. Quoniam enim certâ quâdam ratione Principibus Imperii subditi sunt, propterea Mediati vocantur. Itidem igitur, ut Immediati, duplicem personam sustinere videntur, alteram Prælati, alteram Status provincialis, propter bona, & prædia, quæ in terri-

(a) de Rep. Eccl. lib. 6. cap 7. n. 116 & seqq.

(b) I. obs. 30. & de pac publ. l. 1. c. 8

Territorio Principis possident. Licèt igitur quoad personā, & munus, quod sustinent, Ecclesiasticum exemti sint: quoad dominium tamen temporale, quod vocant, & jurisdictionem, si quam habent, Civilem, Principis, in cujus Territorio sunt, imperium agnoscere tenentur (a). Quanquam enim Canonistæ vulgò exemtionem Clericorum penè in infinitum extendant, Germaniæ tamen consvetudo iis in omnibus non suffragatur. Hinc apud nos in realibus coram judice Civili conveniuntur (b); quicquid alii in contrarium differant (c). Onera etiam Provinciæ certâ quâdam ratione ferre coguntur; quicquid Jura Canonica de immunitate Ecclesiasticâ promittant (d). Eâdemque ratione ad Conventus provinciæ, tanquam Status provinciales vocantur. Manifestum igitur, quomodo in his omnibus Prælati inferiores Principibus Ecclesiasticis, & Prælatis immediatis, respondeant. Hoc enim saltem ostendere, non universam quæstionem de exemtione Clericorum hoc loco tractare nobis propositum fuit. De jure Advocatiæ fortassis aliquid addendum esset. Sed materiam prolixam, si plenè explicetur; obscuram, si breviter attingatur, nunc quidem omittere malumus (e). Quæ autem de subjectione, & exemtione Clericorum diximus, pertinent ad regiones Veteri Religioni addictas. Nam apud Protestantes res omni dubio caret; quippe apud quos Prælati, & in universum omnes Clerici, Principibus optimo maximo jure subditi sunt. Quin à quibusdam Principibus nostræ Religionis Prælatorum Ordo tempore reformationis planè extinctus est, bonis, quæ illi possederant, in alios usus conversis (f).

XIIX. Ut autem genera Prælatorum aliquantò specialiùs attingam; in Imperio quidem partim Episcopi, partim Abbates, & id genus alii Prælati; in ditionibus autem Principum ferè Abbates tantùm, Capitula, & Prælati inferiores, Ordinem Ecclesiasticum constituunt. Episcoporum enim major videtur esse dignitas, quàm ut Principibus subjectos esse conveniat. Itaque Imperio nullo medio subsunt. Nihilominus tamen alicubi in Conventibus provinciæ etiam Episcopi quidam comparent. Ita inter Ordines Holsatiæ primo loco censetur Episcopus Lubecensis (g). Cæterùm res non satis liquida videtur. Multi enim sunt Episcopi, qui Status controversiam patiuntur; dum ipsi se liberos, & Imperio tantùm subjectos con-

(a) Paurm. de Iur. l. 2 c. 10 n. 16.
b) Gail. I. obs. 37. n. 4. Mynf. I. obs. 22. n. 2.
c) Farin. de Inquis. q. 8 n. 21.
d) Consil. fer. in causâ Bischof. zu Hild. cont. Herzogen zu Braunsch. uff gem. Clerisey gänzlich gesetzte doppelte schatzung betreffend. apud Klec. vot. Cāmeral. 110. n. 14.
e) Knich de jur. territ. c. 4. n. 490.
(f) R. A. zu Augsp. an. 1555. §. diew. ab. Instr. Pac. c. 5. § quæc. monasteria
g) Ionas ab Elversfelt in lib. de Holsatiæ Statu & Ordinibus diversis.

contendunt; Principes autem eos sibi in subjectionem afferunt; ceu videre licet ex syllabo Exemtorum, quem Limneus libris suis de Jure Publico inseruit [a]. Verùm ratio hujus rei non potest esse obscura, si repetamus ea, quæ suprà [b] de potestate Principum circa Sacra diximus; ubi ostensum fuit, Duces quosdam autoritatem aliquam Regiam in Sacrorum Antistites acquisivisse, adeoque Episcopos etiam sub ditione habuisse. Quoniam igitur Episcopi isti in Conventibus provincialibus, æquè ac reliqui Prælati & Ordines se sistebant, utique Status provinciales erant. Verùm crescente autoritate Ecclesiasticorum, Episcopi hi Principibus, quibus subfuerant, paulatim se subtraxerunt, & Principibus Imperii se aggregarunt. Ac inde frequentes illæ exemtionum controversiæ exortæ sunt. Quamvis igitur alicubi, contemplatione bonorum nonnullorum in Territorio Principis alicujus sitorum, Ordinibus provincialibus accenseantur, & ad Conventus provinciales vocentur: nihilominus respectu aliorum bonorum, quæ ab Imperio nullo medio habent, vel etiam dignitate officii, liberi, Statusque Imperii sunt, & Constitutionibus Imperii utuntur (c).

(a) in addit. ad lib. 1. c. 7. n. 73.
b) c. 3. th. 14

(c) arg. R. A. zu Augsp. an. 1548. §. nachdem auch in d' Ringer.

XIX. Denique non prætcrire debemus, quòd quemadmodum in Imperio, ita & in Regionibus Principum, Ordini Ecclesiastico accenseantur Equites Ordinis Teutonici. Quanquam enim militia non sacrum, sed prophanum munus sit; ideoque multi dubitent, an illi ad laicos, an ad Clericos, referendi sint: quoniam tamen hæc militia, non tam salutem patriæ, quàm honorem, incrementum, & defensionem Ecclesiæ, respicere videtur; quoniam etiam hi Equites instituta nonnulla Ordinum Religiosorum sequuntur, propterea Ecclesiasticis aggregantur (d).

d) Reink. d. Reg. sec & Eccl lib. 3. cl. 1. cap. 8. in fin

XX. Post Ecclesiasticum de Nobilium Ordine videamus, numquid in Ordinibus Imperii simile habeat. Quoniam igitur Nobilitas dignitas quædam familiæ est (e), & verò dignitates Illustres Principum & Comitum itidem familiæ dignitates sunt; perspicuum inde est, Principum, & Comitum Ordini in Imperio, Nobiles in Provinciis respondere. Quin ipsæ illæ dignitates Illustres nihil aliud sunt, quàm sublimis gradus Nobilitatis; siquidem & in Regnis, quæ successione deferuntur, Regiæ familiæ dignitas Nobilitas quæ-

e) Arist. l. 2. Rhet. c. 15.

 dam

dam eſt. Hinc Nobilitatem duobus gradibus metiuntur, ſuperiori, & inferiori: ad ſuperiorem Principes, Comites, & Barones, ad inferiorem Equites referunt (a). Alii tribus gradibus Nobiles diſtinguunt: in ſummo Principes, in medio Comites, & Barones, in infimo Equites collocant (b). Fatendum tamen eſt, nimis magnum inter hos gradus intervallum eſſe. Ideoque olim quidem Principes & Comites, eorumque poſteri Nobiles potius vocabantur, quàm qui Equeſtris Ordinis erant. Unde opponi invicem videas in rerum Germanicarum ſcriptoribus Nobiles, id eſt, Comitivæ dignitatis, & Miniſteriales, id eſt, Ordinis Equeſtris. Hodie contrà Nobilitatis nomen vilius putatur, quàm ut Principum majeſtati conveniat, & ſoli fere Equeſtri Ordini tribuitur. Nam quòd Papa Principibus Imperij titulum Nobilis Viri tribuat, inſolens videtur. Quicquid autem ejus ſit; hoc utique manifeſtum eſt, in provincijs claſſem Nobilium claſſi Principum, & Comitum in Imperio reſpondere, eò quòd hi ſuperiori, illi autem inferiori gradu Nobiles ſint.

(a) Ex Nauclero Beſold de ord. equeſtr. concl. 13.

(b) Ex Jul. Phlugio Reink. de reg ſec. l 1 claſ. 5. c. 11.

XXI. Imo ut hâc in parte Imperij, & provinciarum, ſimilitudo tantò magis perſpicua ſit; juxta nonnullorum opinionem, olim libera Nobilitas Imperij inter Status Imperij in Senatu Principum locum habebat (c). Econtrariò in quorundam Principum ditionibus etiam Comites & Barones, non feudali tantùm nexu, ſed pleno ſubjectionis jure reperiuntur, & Ordinibus etiam provincialibus alicubi annumerantur. Interpretibus quidem Juris Feudalis hoc mirum videtur, eò quòd Comitatus & Baronatus, feuda Regalia ſint, quæ, cùm dignitatem Regalem annexam habeant, ut nomen arguit, nonniſi à Rege, qui jure Feudali Imperator intelligitur, conferri poſſunt (d). Quo igitur jure feuda illa, quæ à Principibus Imperij per inveſtituram accipiuntur, Comitatus, vel Baronatus ſint, haud ſatis liquet. Quanquam autem alij alia afferant: Roſenthalius (e) tamen putat, omnes illas Baronias, & Comitatus Principibus ſubditos, olim ab Imperatoribus conſtitutos fuiſſe, ſucceſſu autem temporis factum, ut in ditionem Principum tranſirent, atque ab ijs recognoſcerentur; quod multis, dicit, exemplis oſtendi poſſe. Econtrariò tamen nonnullos Comitatus, non ab Imperatoribus, ſed ab ipſis Ducibus eſſe conſtitutos, iisdem exemplis docere poſſumus. Henrici enim

(c) Bertram. de Comit. th. 39. & Beſold. de Ord Equ. n. 15.

(d) Vultei de Feud. lib. 1. cap. 8. n 19.

(e) de Feud. c. 2. concl. 1.

enim Leonis auspicijs constitutum fuisse Comitatum Suerinensem, eique Guncelinum, Virum ex Nobilitate sumtum, Comitem datum, haud obscurè innuit Crancius (a). Nec mirum Comites constituisse, qui etiam investituram Episcoporum sui juris putabant, ut suprà ostendimus, Duces igitur imitati in hoc etiam sunt Imperatores, quòd non minùs in ditionibus suis, quàm Imperator in Imperio, Comites instituerent. Quanquam autem ijs hoc ampliùs non liceat; siquidem dignitates Regales conferre inter reservata Imperatoris numeratur (b): sapit tamen & hoc aliquid Imperatorium, quòd feudorum Regalium antiquitus constitutorum investituræ ab ipsis petantur, quodque Comites & Barones eorum Imperio subjecti sint. Sed nos revertamur ad Nobilitatem Equestrem, & quâ ratione dignitatibus Illustribus, quæ in Imperio sunt, respondeat, exponamus.

(a) l. 6 Sax. c. 19. & 40.

(b) Reink. de reg. sec. & Eccles. l. 1. cl. 4. c. 16. n. 1. & seqq.

XXII. Nobilitas dignitas quædam est ex virtute majorum orta: & quoniam *alius aliâ virtute præstat*, (verba sunt (c) Bodini *& quarum virtutum in unâ Civitate maxima laus est, earundem alibi contemta jacet: idcirco nunquam potuit una populis omnibus conveniens definitio nobilitatis afferri, sed ex more cujusque regionis dignitas, & infamia, judicantur* (d). Illustrat hoc variis exemplis, inter quæ facilè excellit, quod de Hebræis affert. *Cum enim,* inquit, *gens illa summam bonorum omnium in religionibus, ac divini Numinis cultu, collocaret; ita sacerdotes, qui proximè ad immortalis Dei Numen accederent, nobilissimos omnium judicabat.* Cœterùm majores nostri potentiam quandam bellicam pro fine habuisse videntur, ideoque Rempubl. ad militiam aptandam, & præcipuis honoribus virtutem militarem afficiendam, judicarunt. Nostra igitur Nobilitas, tam superioris, quàm inferioris gradus, dignitas militaris est. Nam quò perpetuo milite quasi præsidiario Imperium instructum esset, ratio inventa est, quò eos, qui bellicâ virtute præstabant, cum omni posteritate militiæ addicerent, & quasi consecrarent, certis quibusdam bonis solenni cæremoniâ illis assignatis, hâc lege, ut ipsi, eorumque posteri masculi ijs fruantur quidem, sed vicissim ad militiam subeundam, cum usus foret, parati essent. Hoc antiquum feudorum institutum est, licèt sequens ætas multa in ijs mutaverit. Quoniam igitur disciplina militaris Ordinem quendam offi-

(c) lib. 3 de rep. cap. 8.

(d) Bartol. in l. 1 C. de dignit.

officiorum militarium requirit; hinc qui istâ ratione militiæ addicti sunt, vel Capitanei sunt, Duces sc. Marchiones, Comites; vel Valvasores (a), cujusmodi sunt, qui hodie vulgò Nobiles vocantur; quasi illos magistratus militares, hos gregarios milites dixeris. Nam in jure feudali passim milites vocantur. Et Fridericus Imperator in Constitutione de pace tenenda, cum prohibet, quenquam ad duellum admitti, nisi natalibus Nobilis sit, *Facultas pugnandi*, inquit, *non concedatur ei, nisi probare poßit, quod antiquitùs ipse cum parentibus suis nativitate legitimus miles existat* (b). Hinc etiam Nobiles generis militaris esse dicuntur (c). Et in Imperatorum edictis, & Constitutionibus Latinis Nobiles solent milites vocari: in Germanicis autem Knechte vocantur. Et liberi illi Equites, Imperio nullo medio subditi, vocantur Knechte des heiligen Reichs (d). Vocabulum enim Knecht militem significat. Nobilitatem igitur, tam superioris, quàm inferioris gradus, apud nos militarem dignitatem æstimari, manifestum est. Nec huic obstare putandum est, quòd ex communi Jurisconsultorum sententiâ militia perse non nobilitet (e). Non enim nos dicimus, omnes milites Nobiles fieri; sed qui antiquitùs ob egregiam in bellis operam præstitam militiæ dicati sunt, horum posteros Nobiles esse. Quò fortassis respicit Bodinus (f), cùm inquit: *Nobis non quidem statim, sed si militiam posteri sequuntur, Nobilitatem quasi temporis diuturnitate adepti putantur.*

XXIII. Assignata autem præcipuè est Nobilitati militia equestris; quippe quæ & honoratior est, & sumptus majores requirit. Nobilitas enim apud nos dignitas quædam Equestris est. Institutum hoc sub Regno Francico cœpisse videtur. Nam antea, ut ex Tacito discimus, Germani rem equestrem parùm curantes, peditatu præcipuè nitebantur. Sed apud Gallos Equites post Druides principem locum in Rep. tenebant, teste Cæsare (g). Francica igitur Nobilitas, occupata Galliâ, mota exemplo gentis, cui associabatur, ex eo tempore studiosiùs rem equestrem coluisse videtur. Gentibus enim diversis commixtis, solet altera ex alterius moribus aliquid attrahere. Cœpit etiam deinceps census quidam institui, ut munia militiæ non ampliùs viritim, sed pro numero mansorum, id est, pro quantitate agri, fierent (h). Quoniam autem *equorum alendorum facul-*

(a) 1 feud. 1. & ibi Cuj. 2 feud. 14. 2. feud. 10.

(b) 2 feud. 27 §. 3. & ibi. Gotofred.

(c) Cranc. l. 9. Saxon. c. 30. & 38.

(d) Ord. des Reg. zu Augs. an. 1500. tit. von der Ritt. vñ Knechte stewr.

(e) Tyraq de nob. c. 8. n. 5

(f) lib 3. de rep. cap. 8.

(g) lib. 6. de bell. Gall

(h) Lehman. Chro Spir. lib. 2. c 43.

facultas eorum propria est, qui amplas divitias, magnasq́; possessiones habent (a); ideoque equestris militia Nobilibus assignata, & quò sumptus equis alendis, & alijs militiæ equestris muneribus sustinendis, suppeterent, certa quædam prædia feudi titulo ijs assignata sunt. Huc spectat id, quod habetur in capitulis Synodi Dingulovienfis (b): *Nobilis tamdiu Equestris Ordinis censeatur, quamdiu beneficia, & prædia Principis, Regniq́; possidet; quamdiu Principi suo fidem servarit, & utilis Reip. fuerit.* Hinc etiam ludi equestres, ut in eo genere militiæ se exercerent Nobiles, instituti sunt; ad quos proinde plebeios admittere, nefas duxere. Et adhuc hodie, si bellum ingruat, ut delectum in provinciá instituere necesse sit, Nobiles plerumque cum equis adesse, vel equites vicarios armis equísq; instructos mittere tenentur (c). Hæc igitur causa & ratio est, quòd apud nos Nobilitas Equestris quædam dignitas censeatur. Simili penè ratione Ordo Equestris institutus fuerat apud Romanos. Censu enim à Servio Tullio Rege instituto, & muneribus militiæ pro habitu pecuniarum distributis, Equestris Ordo ex ijs, qui maximo censu erant, lectus est (d). Bello igitur ingruente, ex Equestribus centurijs equites, ex cœteris civium classibus pedites legebantur (e). Differentia autem in eo est, quod apud nos, secus ac apud Romanos, Equestri Ordini etiam Nobilitas annexa sit.

(a) Aristol. lib. 6 Pol. cap. 6.

(b) Cent. Eccles. 8. c. 9.

(c) Wehner in ob. pract. verb. Ritterdienste:

(d) Liv lib. 1. cap. 42. Dionf. Hal. lib. 4.

(e) Pplyb. lib. 6.

XXIV. Jam facilè intelligi potest, quid feudum Nobile sit, de quo tantopere disceptant Interpretes Juris feudalis. Est autem id quoque hoc loco quærendum, quoniam, ut Principes in Comitijs Imperij, ita Nobiles in Conventibus provinciarum, jus suffragij jure feudi plerumque habent. Quemadmodum igitur dignitati Regali Nobilitas, & dignitas Equestris; sic feudis Regalibus feuda Nobilia & Equestria respondent. Definiunt vulgò feudum Nobile, quod annexam Nobilitatem habet, accipientem nobilitans (f). Quomodo autem Nobilitatem annexam habeat, quomodo accipientem nobilitet, mirè discrepant. Plurimi à solo Imperatore, quippe qui solus nobilitandi facultatem habeat, putant, Nobile feudum concedi posse. Sed quid opus ambagibus? Nobilis feudi appellatio in jure Feudali nuspiam occurrit, sed ex vulgò receptâ vernaculi sermonis consuetudine petita est. Feuda enim, quæ Nobiles alicujus

(f) Vult. de feud. lib. 1. c. 8. n. 16.

Regio-

Regionis antiquo instituto, annexo militiæ onere, possident, nobis Adeliche Lehn / Adeliche Güter / Ritter-Sitze appellantur (a). Hæc igitur Latinè feuda vocamus Nobilia, id est, Nobilitati dicata. Nimirum Nobilitas est quidem dignitas quædam majorum (b), ut autem omnibus numeris perfecta sit, necesse est, ut præter claritatem generis, opes etiam majorum ad liberos successione pervenerint; quippe sine quibus dignitas sustineri non potest. Unde Aristoteles, Nobilitatem, dicit, esse virtutem, & divitias antiquas [c]. Hujusmodi avita bona sunt nostrorum Nobilium feuda, & proinde Nobilia feuda dicuntur. Benè igitur se habet, quod notat Baldus [d], quemadmodum Nobilitas in antiquitate quâdam consistit, ita nobile feudum antiquum esse. Rectè etiam se habet eorum doctrina, qui statuunt, quænam feuda Nobilia sint, ex loci cujusque consuetudine æstimandum esse [e]. Ex antiquo enim majorum instituto pendet, quod hæc vel illa prædia Equestria, id est, Nobilia feuda, Adeliche lehen / vnd Ritter-sitze / censeantur. Jam igitur quid de Interpretum opinione, quam suprà retulimus, sentiendum sit, facilè liquet. Malè sine dubio definiunt feudum Nobile, quod nobilitat accipientem. Non enim Nobilitas feudum sequitur; sed feudum Nobilitatis accessio quædam est. Unde etsi plebeio feudum ejusmodi concedatur, non tamen inde Nobilis fit [f]. An autem, quando Imperator feudum, quod Nobilis antea possederat, plebeio concedit, conjectura inde capienda sit, quod eum Nobilium ordini adscribere voluerit, alia quæstio est. Certè si consuetudinem hodiernam quærimus, satis notum est, Imperatorem peculiari diplomate Nobiles creare solere. Cœtera, quæ de Nobilitate tradi possunt, non sunt hujus loci.

(a) Wehn. in obs. pract. verb. Ritter-güter.
b) Arist. l. 2. Rhet. c. 15.
c) lib. 4. Polit. cap. 8
d) Gotofr. in not. ad 2. feud. 10. l. o.
e) Rosenrh. de feud. c. 2. concl. 2.
f) 2 feud 10.

XXV. Tertius Ordo Statuum provincialium in Civitatibus consistit; planè quemadmodum etiam Imperij Ordinum infima classis ex Civitatibus constat. Olim cùm raræ essent Urbes, vel nullæ potiùs, ingenua plebs ex agro unà cum Nobilitate ad Comitia per delegatos conveniebat: cujus moris in Galliâ vestigium superesse videtur, ubi non tantùm Urbium, sed & pagorum, & parochiarum delegati ad Comitia Regni mittuntur, ac in tertio Ordine censentur [g]. Sed postquam apud nos Urbes condi cœperunt, rusticæ plebis

g) descript. Galliæ inter Resp. Lugdum Batav. edit. cap. 11.

bis

his autoritas eviluit. Alicubi tamen vici esse dicuntur nullis Præfectis, sed summis tantùm Principum Tribunalibus subjecti, qui etiam unà cum cœteris Statibus ad Concilia vocentur. Sed hoc rarum & quodammodo extraordinarium est; quanquam etiam in Imperio Vicos quosdam immediatos esse, suprà ostensum sit (a). Hodie igitur, & in Comitiis Imperii, & in Conventibus provincialibus ultimo loco suffragii ferendi potestatem habent Civitates; atque in hoc præcipua consistit ratio similitudinis, quæ inter Imperiales & provinciales Civitates intercedit. Præterea tamen & quoad ipsam formam ac administrationem Reip. Civitates provinciales haud longè abludunt ab Imperialibus; quo nomine comparationem inter eas instituit Paurmeisterus [b]. Quoad libertatem autem & potestatem Imperii Civilis magnam differentiam intercedere, plus satis manifestum est. Attamen in hoc adhuc conveniunt, quòd quemadmodum non omnes Civitates Imperiales æquè liberæ, ita nec Provinciales æquali omnes conditione subjectæ sunt. Civitatum enim imperialium aliæ Imperatori ad certum annuum tributum, vel aliam quandam præstationem obligatæ sunt: in quibusdam etiam Principes vicini, vel præfecturæ Imperialis, vel alio quodam jure, certam quandam Jurisdictionem exercent: aliæ ab his omnibus liberæ sunt (c). Eodem modo Civitatum provincialium conditio non unius generis, sed admodum varia est. Aliis enim Præfecti Principum jus dicunt, quorum tamen potestas ubique non est eadem: aliæ liberiorem quandam Remp. habent, suosque sibi magistratus eligunt, qui omnem Jurisdictionem, mixtum & merum Imperium in Oppidanos beneficio & concessione Principis, aut præscriptione exercent: ita tamen ut superius Principis Imperium agnoscere teneantur. Exemplum planè subjectæ, & quæ parum privilegiorum habeat, est in causâ Tryer contra Tryer (d); ubi plera que jura Imperii, de quibus inter Civitatem & Electorem controversia erat, Electori adjudicantur. Contrà exemplum Civitatis, quæ, licèt non Imperio, sed Principi subdita sit, liberiorem tamen Remp. habet, occurrit in causâ Maintz contra Erfurt (e); ubi in voto præcipuè Correferentis multa egregia jura enarrantur, quæ Civitati competant, absque præjudicio Superioritatis Territorialis, quæ

(a) c. 1. th. 8.

b) de Iurisd. l. 2. cap ult. n. 72.

c) Lehman. Chro Spir. lib. 4. c 4. Wehn. in observ. pract. verb Freye Reichs-städte.

d) Kloc. vot Cam. rel. 72.

e) Symph. p. 1 tit 2 & Kloc. vot. Câ. rel. 69.

quæ Electoris est. Unde nonnulli inter Civitates Imperiales & Provinciales genus aliquod mixtum intercedere putant (a); quod tamen aliis displicet. In causâ sanè allegatâ Archiepiscopi Moguntini contra Erfordiam, cùm Referens genus illud mixtum ad eam causam accommodare tentaret, cœteri Assessores in eo ipsi non assentiuntur. Improbat etiam Denaisius (b): item Paurmeisterus multis impugnat (c). Sed quæstiones ejusmodi hoc loco tractare, nostrum non est. Hæc igitur de tribus Ordinum Provincialium classibus sufficiant.

(a) Matth. Steph de Jurisd. n. 20 & 46.
b) Klac. vot. Cam. rel. 25 n 100
c) de Jurisd lib 2. c. ult n. 16. & seqq

XXVI. De cœteris subditis, qui Status non sunt, quoniam in administratione Reip momentum non habent, non attinet multa dicere. Hoc tamen præterire non debemus, in quæstionibus, quæ de jure subjectionis in Regionibus Principum occurrunt, considerationem analogiæ istius, quæ inter Imperii & Territoriorum administrationem intercedit, magnum sæpe usum habere. Quæritur, verbi gratiâ, an immediatus Imperii Civis, simul alterius Status subditus esse possit? Plerique certè hoc asserere non dubitant. Fieri enim posse ajunt, ut quis duplicem personam diverso respectu sustineat, alteram Imperialem, alteram Provincialem, ut licet quis Status sit Imperii, ratione bonorum tamen & domicilii alterius subditus esse possit (d). Econtrariò alii hoc absurdum esse putant, & contradictionem involvere, si dicas immediatum aliquem esse, & alterius tamen subsiditum. Itaque majori lumine, aiunt, obfuscari minus, & personæ dignitatem possessioni & domicilio prævalere (e). Ex hoc fonte plurimæ aliæ fluunt controversiæ. An enim Immediatus alteri Statui, in cujus territorio bona & domicilium habet, homagium præstare teneatur, in celeberrimâ illa causâ Ortenburg contra Bayern / quæ omnibus, qui hanc materiam attingunt, in ore est, acerrimè disputatum fuit. Non digredimur ad hanc quæstionem ex suis principiis tractandam; sed monemus tantùm, posse eam haud parum lucis accipere, si analogiam Imperii spectemus. Sunt enim Reges quidam exteri, Hispaniæ verbi gratiâ, Hungariæ, Daniæ, & Succiæ qui in Imperio certas quasdam ditiones possident, quarum nomine Status Imperii sunt, eique fidem & obsequium debent, licèt in Regnis suis superiorem agnoscant neminem.

d) Gail de arrest. c. 6. Wehner. in pract. obs. verb. ohn mittel & verb. Landsaß.
e) Zachar. Victor de exemt. côcl 30. & concl. 27. Reink. lib 1 class 4. cap 1. in fin

minem. Quid ni igitur fieri possit, ut Immediatus aliquis Imperii Civis, ratione domicilii & bonorum, quæ in alterius territorio habet, ei subditus sit, absque deminutione status sui liberi? Hoc sanè argumento rectè utitur Gailius (a), quo hoc ipsum adstruere conatur. Possent ejus generis plura exempla afferri.

(a) dict. lib. de arrest. cap. 6. n. 15.

XXVII. Sed nos, postquam partes societatis Civilis, imperantes & parentes, recensuimus, atque in iis, quid Regiones Principum cum universo Imperio simile habeant, consideravimus; transeamus ad ipsam Rempubl., atque in illius partibus itidem similitudinis istius vestigia quæramus. Sunt autem, ut suprà ex Aristotele (b) diximus, partes Reip. tres SENATUS, MAGISTRATUS, & JUDICIA. SENATUS Aristoteli illa pars vocatur, quæ habet potestatem deliberandi de summis Reipubl. negotiis, sive eam unus habeat, ut in Regnis, sive plures, ut in Aristocratiâ & cœteris Reip. formis. Quanquam autem in Regnis summa potestas penes unum sit, solet tamen Rex adhibere Consiliarios quosdam (c): & quoniam negotia publica alia majoris, alia minoris momenti sunt, Consiliariorum Ordines & gradus distinguere solent, ita ut alii secretorum participes sint, alii à consiliis minorum rerum. Sic Imperator noster duplex habet Consistorium, aliud SANCTIUS, den geheimbden Rath / aliud AULICUM, den Hoffrath. Utriusque mentio fit in capitulatione Cæsareâ, quâ Imperator promittit, se curaturum, ut utrumque in Leges capitulationis juret (d). Nam etiam in sanctiori Consistorio negotia Imperii tractantur. Eodem igitur modo Principes nostri duplici hoc genere Consiliariorum utuntur. Multi etiam vocabulis iisdem eos distinguunt, & alios Secretos, alios Aulicos vocant. Similitudo igitur quæ hîc in parte inter Imperatorem & Principes est, perspicua est; cujus contemplatione Jurisconsulti tradunt, Consiliarios Principum eâdem immunitate frui in territoriis suorũ Principum, quâ fruuntur Consiliarii in Aulâ Imperatoris (e). Non potest autẽ esse obscurum, quæ de Consiliariorum distinctione diximus, ad Principes potentiores pertinere. Nam quorũ res tenuiores sunt, cùm paucos tantùm habeant Consiliarios, non possunt eos, his gradibus distinguere sed quos habent, promiscuè ad omnia adhibere. Accidit enim illis, quod parvis Civitatibus, in quibus multarum rerum curationes

(b) lib. 4 Polit. cap. 14.

(c) Arist. l. 3. Polit. c. 16.

(d) Capitul. Leopoldi art. 48.

dannt auch.

(e) Wesemb. consil. 40 n. 45 Knich. de jure territor. cap. 1. n. 138.

 nes

nes propter penuriam hominum & negotiorum paucitatem in uno Magistratu conjungi solent, quem propterea Aristoteles (a) obeliscolychnio, id est instrumento, quod variis usibus inservit, comparat.

(a) lib. 4. Pol cap. 15.

XXIIX. Porro in Regnis, quæ non planè Monarchica sunt, etiam Comitia quandoque haberi solent, ut unà cum Rege, vel Optimates, vel Populus, vel utrique deliberent. Quemadmodum autem Regnorum varius est status, cùm alia plus, alia minus ex aliis Rebuspublicis admixtum habeant: sic etiam Comitia non ubique ejusdem autoritatis sunt. Quandoque enim dicis tantùm gratiâ convocantur, aut consilii tantum dandi causâ, ita ut Regi quidvis pro lubitu statuendi potestas libera maneat; qualia ferè sunt Comitia Regni Gallici. Aristoteles ejusmodi Comitia populi etiam in Oligarchiis agnoscit [b]. In nostro autem Imperio Comitia magnæ sunt autoritatis. De negotiis enim maximi momenti nonnisi plenis Comitiis statui potest [c]. Quanquam autem Conventus Provinciarum tantæ autoritatis non sint, nihilominus Comitiis Imperii quodammodo respondent; quod vel nominis similitudo der Reichs- und Landtage arguit. Antiqui enim moris est Germanici; ut Principes de rebus, quæ totius Regionis salutem spectant, unà cum Ordinibus provincialibus Conventu publico quandoque deliberent. Ab eo enim usque tempore, quo in Imperio nostro Duces Regiâ quâdam potestate succreverunt, Conventus provinciæ egerunt eodem fere modo ac formâ, quâ ipsi Reges Comitia Regni universalia, vel particularia instituebant. De antiquis Bavariæ Ducibus ita scribit Aventinus (d): *Fuit enim Reginoburgium sedes longo tempore Regulorum Boiariæ, sacerdotesque superiores aulam Principis Boiorum frequentes sectabantur, statis diebus quotannis conventibus juridicis, cæterisq; Boiariæ Conciliis interesse solebant.* Nimirum quemadmodum Imperii Comitia, sic etiam Concilia, quæ Duces in Provinciis suis cogebant, alia stataria erant, certo anni tempore celebrari solita, alia extraordinaria. Eòdem pertinet clausula, quàm Rudolphus I. Imperator Constitutioni suæ Pacis publicæ subiicit (e): Was auch die Fürsten in ihrem Lande mit der Landherren Rathe setzend / und machent / diesem Land-friede zu Besse-

b) lib. 4. Polit. cap. 14.

c) Instrum. pac. Cæsar. Svec. cap. 8. §. gaud.

d) lib. 4. annal. Boj.

e) Hab. hæc const. apud Lehman in Chron. Spir lib. 5. cap. 108.

Besserunge/vnd Bestenunge/ das mögen sie woll thun/vnd damit brechent sie des Landfriedes nicht.

XXIX. Verùm quoad autoritatem hodie inter Comitia Imperii & Conventus provinciales magna differentia est: neque tanta necessitas Principibus conventus agendi, quanta Imperatori Comitia convocandi. Longè enim longè addictiùs reguntur subditi Provinciales à Principibus, quàm Ordines Imperii ab Imperatore, ut suprà ostendimus. Multa igitur Principes in ditionibus suis per se soli instituunt, quæ non permittuntur Imperatori absque Comitiis. Exempli gratiâ in Imperio Leges universales nonnisi plenis Comitiis conduntur: at Principes multa faciunt statuta suâ autoritate, nullis convocatis Provinciæ Conciliis. Audiamus iterum Aventinum de Conciliis Bavariæ (a): *Principes de omnibus rebus reliquis consultant: omnia apud Principes pertractantur, nisi quando aut bellum ineundum, vectigal novum pendendum, censusve agendus sit, aut denique discordes Principes fuerint. Quod si huiusmodi res, sive aliud inconsuetum inciderit, omnes jussi & vocati die, loco[que] præscripto coëunt atque conveniunt, Equitum singuli, ex quaq[ue] civitate unus, vel bini; Collegia sacerdotum eum, qui præest, mittunt. In iisdem Conciliis ex Ordinibus, ut numerus placuit, eliguntur, penes quos est arbitrium decernendi.* Hæc de Conventibus Bavariæ; quomodo celebrentur, & de quibus rebus ad eos referri soleat, Aventinus. In singulis autem Regionibus spectandum, de quibus rebus Conventum convocare, vel Legibus, pactisve cautum, vel longâ consuetudine introductum. Nihil enim prohibet, alibi Ordines Provinciales autoritatis majoris, alibi minoris esse. Itaque nec necessitas eos ad consultationes publicas vocandi ubique æqualis. Imò quibusdam locis hoc satis rarum est. Imprimis verò ad tributum extra Ordinem colligendum plerique conventum & assensum Ordinum provincialium requirunt: alii tamen an hoc necesse sit, dubitant (b). Sed quoniam nec locorum omnium consuetudo eadem, quæ tamen in impositione collectarum præcipuè spectanda (c), nec collectæ omnes ejusdem generis, siquidem aliæ majoris, aliæ minoris necessitatis; fortassis generaliter hoc definiri nequit. Itaque nunc potiùs de Ordine & modo celebrandi Conventus videamus, in quo similitudo Comitiorum Imperii partim veterum partim ho-

(a) lib. 1. anal Baiar.

(b) vid. supr. c. 3. th 30.

(c) Gail. 2. obs. 52. n. 18.

diernorum clariùs apparebit. Ordinem Comitiorum Imperii succinctè refert Wehnerus (a), fusiùs Bertramus & Arumæus singularibus libris. Imprimis in veterum & recentiorum Comitiorum descriptione haud contemnendam operam præstitit Lehmannus (b). Taceo autores, qui de jure publico scripserunt. Nos dum modum, quo celebrantur Conventus provinciales recensemus, quid cum Comitiis Imperii simile habeant, breviter annotabimus.

(a) in obs. pract. verb. Reichs-Tag.

b) l. 2. Chro. Spir. c. 37. 38. 39. & l. 7. cap. ult.

XXX. Quemadmodum igitur in Imperio ipse Imperator antiquo instituto (quanquam posterioribus temporibus inoleverit, ut consensus Electorum adhibeatur;) sic in Provinciis suis Principes conventus indicunt, præscripto loco & tempore, quo singuli adsint. Ipsi etiam, deliberanda per Oratores suos proponunt. Licet tamen ipsis Ordinibus gravamina sua vicissim in medium proferre, eorumque remedia petere, non minus, quàm in Imperii Comitiis fieri solet. Antequam autem, quâ formâ in Consilium eant, exponam; non est omittendum, quòd in Comitiis Imperii, partim Archicancellarii Electoris Moguntini, partim Archimareschalli, cujus vices Mareschallus hæreditarius Pappenheimius gerit, partes nonnullæ, præcipuæ sint; ut in vocandis in Senatum Ordinibus, in colligendis suffragiis, in verbis ad Imperatorem faciendis, cum, quæ Ordines censuerunt, ad eum referenda sunt. In Conciliis autem provinciali bus hæc paulò aliter instituta sunt; nisi fortè moris illius, qui in Imperio servatur, vestigium in quibusdam Provinciis superesse dixeris, in eo, quod alicubi certi quidam Cancellarii (Land-Canzlär) quasi Oratores Ordinum Provincialium, alibi Mareschalli (Land-mareschallen) ex nobilitate electi, vel etiam hæreditarii sint, qui ea, quæ ad Concilia Provinciæ pertinent, curant. In plerisque tamen Regionibus Ordines Syndicos habent, qui pro ipsis verba faciunt.

XXXI. Jam quod modum deliberandi attinet, ut in Imperio, sic in Provinciis Principum Ordines in Curias distinguuntur. In Comitiis enim Imperii in tres Curias itur. Prima est Electorum; altera Principum Ecclesiasticorum & Secularium, quibus accensentur Prælati, Comites & Barones; tertia Civitatum Imperialium. In Conventibus provincialibus plerumque itidem tres curiæ constituuntur, prima Prælatorum; (ubi autem nulli sunt, hæc quoque Curia locum non habet) altera Ordinis Equestris; tertia Civita-

tum

tum Provincialium. Quanquam igitur in Ordine Curiarum inter Comitia Imperialia & Provincialia differentia esse videatur: si tamen antiqua recolimus, animadvertimus hoc inde esse, quòd prisca Comitiorum forma in Provincijs quidem duret, in Imperio autem nonnihil immutata sit. Nam olim in Comitiis Regni Episcopi & cœteri Prælati à Principibus secularibus separatam curiam habebant, non minùs quàm hodie in provincialibus conventibus Prælati ab Equestri Ordine secernuntur. Inter alios scriptores antiquos luculentum huic rei testimonium præbent verba Hincmari (a), quæ adscribemus: *Seniorum, inquit, susceptacula sic in duobus divisa erant, ut primò omnes Episcopi, Abbates, vel hujusmodi honorificentiores Clerici, absque ullâ laicorum Commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel hujusmodi Principes honorificabiliter à cœterâ multitudine primo mane segregarentur. Cùm separati à cœteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos causæ tractandæ qualitas docebat, sive de Spiritualibus, sive de Secularibus, seu etiam commixtis.* Verùm quoniam ita ordo sacer & Principum classis distinguebantur; quâ ratione confundi in unam Curiam cœperant? Causam ex Hincmari verbis, quæ recitavimus, licet colligere. Propterea nimirum separati erant, quod plerumque Episcopi negotia Sacra, Principes autem cum Ordine plebeio Profana seorsim tractarent, nisi gravitas causæ, ut omnes consilia conferrent, expostularet. Postea autem quàm summam potestatem circa Religionem Pontifex ab Imperii Comitiis in suam ditionem pertraxit, Episcopi, qui intruso in Ecclesiam mundo, ad dignitatem & opes Principum secularium evecti fuerunt, non ampliùs ut Episcopi, sed ut seculares quidam Principes propter Ducatus, Comitatus & id genus alia Regalia bona ad Comitia vocari censebantur. Sic igitur unâ etiam curiâ cùm Principibus secularibus concludi cœperunt. Quod autem Electores attinet; quanquam diu sit, quòd inter cœteros Principes non tantùm dignitate, sed etiam prærogativâ in negotiis publicis eminere cœperint; separatam tamen Curiam aliquantò seriùs instituerunt: & siquidem Lehmanno (b) credimus, primum ejus rei exemplum in Comitiis anno CIↃ CCCC LXXXIX. Friderico III. & Maximiliano I. Imperatoribus Francofurti habitis extat. Quicquid autem ejus rei sit, institutum certè

(a) epist. 3. cap. 35.

(b) Chr. Spir. lib. 7. c. 110.

haud

haud admodum antiquum est. Hæc igitur hujus differentiæ inter Comitia Imperialia & Provincialia ratio est. In Provincialibus enim conventibus antiqua distinctio Cleri, Nobilitatis, & Ordinis plebeij servatur. Sunt tamen Regiones nonnullæ, in quibus multi status dignitatis Illustres, Comites nimirum & Barones reperiuntur, qui peculiarem quandam & ab Ordine Equestri (cui in quibusdam locis accensentur) separatam Curiam constituunt. Ratio sine dubio est, quòd dignitate & opibus reliquis Ordinibus longè antecellant; quâ ratione in Imperio etiam Electorum curia à reliquis Principibus segregata est.

XXXII. Divisæ autem ita sunt Curiæ, ut commodiori ordine consultationes fiant. Itaque suffragia in universum curiatim, in ipsis autem Curijs viritim feruntur. Quare relationes necessariæ sunt, primò inter ipsas Curias, ut invicem sententias communicent, & si fieri possit, inter sese conveniant; deinde ad Principem, ut quid Ordinum Curiæ, vel communiter omnes, si inter eas convenerit, vel singulæ seorsim, ubi discordes sunt, censuerint, Principi (quemadmodum in Imperio Imperatori) exponatur; à quo vel approbatur Ordinum sententia, vel si aliud ipsi visum fuerit, hinc replicatur, inde duplicatur, & porro triplicatur, donec res conveniat. In his omnibus similitudo inter Comitia Imperialia & Provincialia non potest esse obscura. Eadem enim penè utrobiq; forma, aut certè non multum diversa. Quod communi tandem, vel majoris partis consensu decretum est, in scripturam redigitur, cujus formula in Imperio quidem ab Archicancellario; in Provincijs autem à Cancellario Principis, vel alio Consiliario, cujus is operâ ad hoc utitur, concipitur. Nomine etiam similia, der Reichs- und Landtags Abschiede.

XXXIII. In Imperij Comitijs moris est, ut de certis quibusdam rebus consulrandi potestas paucis nonnullis ex omnium Ordinum numerò delectis detur, vel quòd non vacet omnibus curam ijs rebus intendere, vel quòd res ipsæ ita comparatæ sint, ut à paucioribus rectiùs tractentur, quàm à pluribus. Deputati vocantur, Germanicè Außschuß. Sunt autem duplicis generis. Alij enim extra Comitia universalia ad particularem quendam conventum congregantur: alij in ipsis Comitijs ad negotia, quæ ibi sub manibus

sunt,

ſunt, tractanda ſeliguntur. Utrumque modum Principes, quando cum Ordinibus provinciæ ſuæ conſilia conferunt, imitantur. Nam & peculiarem Deputatorum conventum ſæpe inſtituunt, & in ipſis Conventibus univerſalibus, ſi ita viſum fuerit, ex omnium Ordinum numero leguntur, qui negotia, quæ in deliberationem veniunt, ſeorſim expendant.

XXXIV. Unum adhuc addendum. Ubi plures in commune conſultant jure æquales, naturali ratione major pars vincit minorem (a). Accidit tamen quandoque, ut hæc regula locum habere non poſſit. In Imperio noſtro Lege publicâ exceptæ ſunt cauſæ, quæ Religionem concernunt. De contributionibus res magnam controverſiam habet, quæ nondum deciſa (b). Hoc certum eſt, ſi ex re, quæ in conſultatione verſatur, alijs lucrum, alijs damnum eveniat, numero ſuffragiorum præjudicium minori parti fieri, iniquum fore. Similiter nec jus quæſitum hâc ratione cuiquam auferri poteſt (c). Si igitur in Imperio noſtro ejusmodi controverſia oboriatur, non numero ſuffragiorum, ſed amicâ compoſitione, vel aliâ ratione transfigendum eſt. Provinciarum autem conventus Imperij Comitiis in tantum hâc in parte ſimiles ſunt, quod nec in his, ſi caſus ejusmodi contingat, numerus ſuffragiorum prævalere debeat: non tamen compoſitione, aut transactione omnino opus. Nam res alium exitum habere poteſt. Jure enim experiri licet ei parti, quæ iniquam ſibi conditionem afferri putat. Unde non multis abhinc annis Civitates Epiſcopatus Monaſterienſis in conventu Provinciali, quo de vectigali vino & cerevisiæ imponendo actum fuerat, numero ſuffragiorum à reliquis Ordinibus, Prælatis ſcilicet & Equitibus, Epiſcopo aſſentientibus victæ, mandatum cum clauſulâ contra Epiſcopum & reliquos Ordines in Camerâ Imperiali obtinuerunt, quo executionem decreti in conventu Provinciali facti ſuſpendere jubebantur, donec res judicio, ad quod Civitates provocabant, terminata eſſet. Dicebant enim Civitates, ſibi vectigalia vini & cerevisiæ ex longâ præſcriptione competere; fore autem, ut, ſi novum vectigal imponeretur, minuerentur, atque ita in jure quæſito ſibi præjudicium fieret. Proportio igitur, quæ inter Comitia Imperii & Conventus Provinciarum eſt, ex his perſpicua eſt: & ita prima pars Rei-

(a) Grot. de jur. bell & pac lib. 2. c. 5 n. 17.

(b) Inſtr. Pac Caeſ Suec. c. 5. § 19 in cauſ. relig. Warem. ab Ehrenb. de reg. ſubſid. & oner. ſubdit. c. 5 n. 53. Reink de reg. ſec. l. 1. claſ. 5. c. 8 n. 71 Limn. d. jure publ. lib 9 c. 1 n. 176 & ſeqq.

(c) Beſold. de ærar. cap. 4. n. 2.

publ. quæ ad deliberationes pertinet, & Aristoteli SENATUS vocatur, exposita est.

XXXV. Transeamus iam ad alteram partem, quæ in MAGISTRATIBUS consistit. Videtur quidem hâc in parte, quæ variis accidentibus obnoxia est, similitudo exigua esse inter Imperium & Principum ditiones: si tamen antiquum statum respicimus, deprehendimus, Aulica officia, quæ præcipua sunt, ex antiquorum Regum & Imperatorum aulâ imitatione quâdam expressa esse. In priscorum enim Regum nostrorum Aulis inter dignitates præcipuas erant, Cancellarii, Palantzgravij seu Comitis Palatini, Mareschalli, Dapiferi, Pincernæ, & Camerarij officia. Quanquam autem ex parte hæc Regum domestica potiùs, quàm Reipubl. officia fuisse videantur: ita tamen instituebantur, ut cum curâ domus Regiæ administratio aliqua Reipubl. conjungeretur. Explicantur singula à Lehmanno (a). Imperatores autem, cùm omnia alienarent, hæc etiam Officia certis quibusdam Principibus, eorumque Familijs feudali & hæreditario jure concesserunt: unde Electorum origo. Cancellariorum enim officia Ecclesiasticis; Mareschalli, Dapiferi, Pincernæ & Camerarii dignitates Secularibus attributæ sunt. Jam videamus, quomodo Principes hæc imitati sint. Postquam enim Regiam penè potestatem adepti, Aulam etiam Regum instar instituerunt, & Officia illa, si non omnia, pleraque saltem adhibuerunt. Non opus autem est de Comitibus Palatinis dicere. Dignitas enim Regii imperii propria visa, & major, quàm ut Principum Aulis conveniret. Enimvero ab initio nec Cancellariis, sed Notariis tantùm usi: quanquam nec hæc levis videtur fuisse dignitas. Argumento est, quòd Hartwicus, qui Henrici Leonis notarius fuerat, paulò post ad Archiepiscopatum Bremensem evectus sit (b). Verùm successu temporis Cancellarij etiam dignitas in Principum Aulas introducta est. Reliqua officia, quorum suprà mentionem fecimus, Principibus non minùs, quàm Imperatori, in usu fuisse, colligere licet ex Constitutione Caroli Crassi de expeditione Romanâ Wormatiæ anno IↃ CCC XC. promulgatâ, quam edidit Marquardus Freherus. Verba ita habent: *Singuli verò Principes suos habeant Officionarios Speciales, Marschalcum, Dapiferum, Pincernam, & Kamerarium: qui quatuor, quantò plus*

(a) l. 2. Chr. Spir. lib 2. c. 6. & seqq.

(b) Cranc. Sax. lib 6 cap. 49.

plus sunt laboraturi, tantò plus in stipendio, in vestitu, in equitatu, præ cæteris sunt honorandi scilicet, & unicuique istorum decem libræ cum tribus equis tribuantur: quartus Marsalco addatur, quorum unum ad præcurrendum, alterum ad pugnandum, tertium ad spatiandum, quartum ad loricam portandum. Habuisse igitur jam tum olim Principes, æquè ac Imperatores, Mareschallum, Dapiferum, Pincernam & Camerarium, inde manifestum est. Verùm Dapiferi, & Pincernæ, officia non ampliùs in frequenti usu sunt. Nonnulli Principes hujusmodi dignitates hæreditarias feudali contractu fecerunt, imitati in hoc etiam Imperatores. Camerarii autem munus divisum hodie inter plures, nominibus & honoris gradibus distinctos; inter quos qui autoritate præcellit, vel Cameræ præses, vel alio tali vocabulo appellari solet. Aulicorum igitur officiorum, quibus Principes utuntur, originem ex antiquorum Regum aulis derivatam esse, dubitari non potest. De minoribus officiis non opus est dicere. Sanè etiam Præfecturarum Imperialium vestigia ex antiquitate restant. Præfecti enim quidam ab Imperatore, & in urbibus Imperialibus, & alicubi in agro, olim constituebantur. Sed nolumus minuta scrutari.

XXXVI. Veniamus igitur ad JUDICIA, tertiam Reipubl. partem, in quâ itidem imaginem summæ Imperii Reipubl. relucere videbimus. In Imperio nostro ipsum Regem, vel Imperatorem, summum semper fuisse Judicem, dubium non est. Quoniam tamen ipse litibus disceptandis vacare non poterat; olim quidem Comiti Palatij, posteriori autem ævo Judici Aulico hoc munus delegabant: de quo apud Goldastum in Constitutione Friderici II. an. CIↃCCXXXVI. lata cap. XXIV. hæc verba leguntur. Wir setzen auch / das des Reichs Hoff habe einen Hoffrichter / der ein freyer Mann sey / der auch in dem Ampte zum wenigsten ein Jahr soll bleiben. Der soll alle Tage zu Gericht sitzen / ohn den Sontag / vnd die heiligen Tage / vnd soll die Leute richten / die jhm klagen von allen Leuten / ohn Fürsten vnd andere Hohe Leute / wann es gehet an jhren Leib / oder an jhr Recht / oder an jhr Erbe / oder an jhre Ehre / das wollen wir selber richten. Causas majoris momenti, quæ constitutione illâ foro Judicis Aulici eximuntur, ipse

Cæsar suo judicio reservat. Solebant tamen, prout negotiorum gravitas postulabat, vel Imperii Principes in consilium adhibere, vel verò ad Comitia, quæ olim quidem, partim stato tempore, partim extra Ordinem habebantur, causas ejusmodi referre (*a*). Jam verò Principes Germaniæ haud multùm absimili modo jus dixisse, facilè ostendi potest. Habuisse singulos Judicem Aulicum, hoc satis argumenti est; quod nomen des Hoffrichters hodieque passim superſit. Conventus autem Juridicos egisse, vocatis ad Concilium Provinciæ Ordinibus, vel quibusdam saltem ex eorum numero delectis, non obscurè testantur superiorum temporum historiæ. De Bavariâ audivimus suprà Aventinum: *Statis diebus*, inquit, *quotannis conventibus juridicis, cæterisq; Bavariæ Conciliis interesse solebant.* Nec alia origo censenda est Judiciorum illorum provincialium, vel trimestrium; der Land- oder quartal gerichte / quorum nomen itidem hodieque passim superest.

(a) Lehman Chro Spir. l. 2. c. 39. §. Zum zehenden. Dn Conr. disputat de Jud. Germ. th. 48. & seq.

XXXVII. Quàm malè autem per Germaniam se habuerint Judicia, si aliunde non constaret, vel inde colligere possemus, quòd in Constitutione illa Friderici Imperatoris, quam paulò antè allegavimus, ubi Judicium Aulicum ordinatur, unius tantùm Judicis mentio fiat. Atque hic judiciorum defectus causa fuit, quod Ordines Imperii, si quæ inter eos controversia oriretur,

Non ex jure manu consertum, sed mage ferro

rem repeterent, ut suprà (*b*) retulimus. Verùm enim est dictum illud Ciceronis (*c*): *Cùm sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumq; illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.* Breviùs Grotius (*d*): *Ubi deficiunt judicia, incipit bellum.* Eâdem igitur ex causâ quoniam, ut in Imperio, ita & in Provinciis omnino malè constituta erant Iudicia, privatis etiam duella permittebantur. Residebant enim adhuc in moribus gentis nostræ reliquiæ quædam antiquæ istius barbariei, quâ non minùs ad duellum, quàm in jus vocare adversarium licebat. *Si quis liber* (verba sunt legis Alemannicæ (*e*), non minùs sensu, quàm dictione barbaræ) *libero aliquod mortale crimen imposuerit, & ad Regem, aut ad Ducem, eum accusaverit, & inde probata res non est, nisi quòd ipse dicit, liceat illi alij, cui crimen imposuit, cum*

b) c. 3. th. 8.
c) de offic. 1.
d) lib. 2. de jur. bell. & pac. c. 1. n. 2.
e) leg. Alemannic. c. 44. apud Lindenb.

tracta

tractâ spathâ se idoneare contra illum alium. Quin etiam sacrum aliquid hujusmodi certamini inesse putabant. Itaque non aliter quàm solenni ritu, & cum obtestatione divini Numinis suscipiebatur(*a*): quo sensu divinum judicium vocatur[*b*]. Victoria non minoris autoritatis, quàm sententia judicis erat. Audiamus iterum Legislatorem Alemann cum[*c*]: *Qualis de ipsis vicerit, ipse possideat illam contentionem, & illi alij præsumptuosi, quia proprietatem contradixerunt, XII. solid. componant.* Hæc erant egregia illa antiquæ Germaniæ judicia. Hinc adeò factum puto, quòd linguâ nostrâ vernaculâ ipsum judicium bellum juris vocetur, der Krieg rechtens / litis contestatio, Kriegesbefestigung / litis consortes, Kriegesverwanten / & litis Curator, Kreegischer Vormund / vel Vormund zum Krieg: quæ vocabula antiquam belli ac judicii confusionem redolere videntur. At quantò rectiùs jus Romanum? *Cur ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest Iurisdictione suâ componere*[*d*]?

(a) leg. Alemann. c. 85.
(b) 2. feud. 29. & ibi. Cujac.
(c) dict. c. 85.
(d) l. 13. § 3. ff. de usufr.

XXXIIX. Cùm igitur seculo XV., efflorescentibus cùm aliarum bonarum artium, tum Iuris Romani studiis, prisca morum feritas mitigari, & barbaries antiqua expoliri cœpisset, hâc quasi novâ quâdam luce illustrati, defectum hunc Reipubl. nostræ animadvertimus. Inde partim sub finem illius seculi, partim seculo sequenti, & in Imperio, & in Principum ditionibus, major cura judiciis ordinandis adhibita est. In Imperio quidem duo summa Iudicia instituta, primò Camera Imperialis, cui Assessores partim ab Imperatore, partim ab Ordinibus Imperii dantur; deinde Judicium Aulicum, quod à solius Imperatoris autoritate dependet. Principes autem hoc exemplum secuti, imitatione Cameræ Imperialis Judicia Provincialia, Hoff oder Landgerichte / Assessoribus partim ex Nobilium, partim ex Jurisconsultorum Ordine delectis instituerunt, ita ut etiam Ordinum provincialium ratio aliqua haberetur(*e*). Præter hæc autem in Cancellariâ à Consiliariis Principum, nomine ac vice ipsorum, jus dicitur, quod judicio Aulico Cæsaris quodammodo respondet. Itaque *quod Camera est Imperialis* (verba sunt Vultei. (*f*) *Spiræ in Imperio, ea solet esse in singulis territoriis Curia illa, quæ vernaculè dicitur* das Hoffgericht / *& quæ est Camera in ipsâ Aula Imperatoris, ea apud*

(*e*) *vid.* Fürstl. Braunsch. Hoffger. ord. *t.* 2.
(f) de jud. l. 1. cap. 4. n. 62.

apud Principes solet esse Cancellaria. Curiæ igitur ordinariam Iurisdictionem habent, Cancellaria ut plurimum delegatam. Quanquam autem alicubi duo hæc Iudicia ita sint ordinata, ut ab altero ad alterum provocatio detur; in Regionibus tamen haud paucis æqualia sunt, & Jurisdictionem concurrentem habent; æquè ac in Imperio Judicium Aulicum, & Camera Imperialis. Quemadmodum igitur in Summis Imperii Judiciis immediati Imperii Cives primâ instantiâ (Austregarum privilegiis exceptis) Mediati autem alterâ demum instantiâ (nisi causæ conditio aliud exigat) conveniuntur: sic in summis illis Principum Judiciis Ordines provinciales, præfecti Principum, aliique, qui inferiores judices non agnoscunt, primâ instantiâ; cœteri autem secundâ instantiâ ordinariè forum sortiuntur (*a*). Quin etiam ipsius processus, qui in Camerâ Imperiali constitutus est, exemplum hæc Principum Judicia magnâ ex parte subsequuntur: atque adeò novissimâ Constitutione Imperii Ratisbonensi jubentur Principes hoc operam dare, ut, quoad ejus fieri potest, Iudiciorum suorum Ordinationes Cameralis processus normæ conformes reddant (*b*). Es sollen auch Chur-Fürsten und Stände des Reichs bey ihren Untergerichten die Verordnung thun/damit/ so viel müglich / bey denen selben die norma der Cammergerichtlicher proceß observirt werde; jedoch mit diesem außtrücklichen Vorbehalt/ dafern bey solchen judiciis ein anderer modus eingeführt/ und biß dahero beständig hergebracht worden / das es auch dabey sein ohngehindertes verbleiben haben solle. Hactenus de judiciis Principum Civilibus.

(*a*) vid. Fürstl. Braunſ. Hoffger. ord. *t.* 25.

(*b*) R. A. zu Regenspurg an 1654. §. Es sollen auch.

XXXIX. Protestantes præterea Iudicium aliquod Ecclesiasticum habent, quod Consistorium vocatur. Principes autem veteri Religioni addictos nihil tale habere, non est mirum; quippe qui nullam Iurisdictionem Ecclesiasticam habeant, vel se non habere putent. Qua de causâ nec Imperator causarum Ecclesiasticarum Consistorium hodie habet. Olim autem Francici Reges còm adhuc sacrarum causarum cognitionem haberent, Consilium quoque sacrum habebant, cujus Princeps erat Apocrisiarius (*c*). Sed ademptà Regibus Iurisdictione in res & personas sacras, Iudicium quoque illud

(*c*) Lehman. l. 2. Chron. Spir. cap. 7. & 8.

illud expiravit: à Protestantibus autem Principibus quasi postliminio, Consistoriis introductis, restitutum est. Quanquam enim Ecclesiastica Iurisdictio cum Civili in ipsorum personâ conjungatur: quoad exercitium tamen & administrationem meritò altera ab alterâ distinguitur; cùm jurisdictiones confundi non debeant, ut vulgatissima habet juris regula (a).

XL. Pauca addamus de inferioribus Principum Iudiciis, quæ iisdem subjecta quidem sunt, lege tamen longè diversâ. Sunt enim duorum generum. Prioris generis sunt Iudicia Nobilium, Civitatum municipalium, aliorúmve, in quos Principes Iurisdictionem jure perpetuo feudi, vel alterius cuiusdam contractus, transtulerunt. Alterius generis sunt, quæ à præfectis, aliisve ministris Principum administrantur. Ita enim juri dicundo præfecti sunt à Principe, ut exercitium quidem & administrationem ipsi habeant, jus tamen & autoritas penes Principem maneat. Cœterùm Iurisdictionem hanc, quam præfecti vicariâ operâ administrant, missam faciemus. Alteram autem, quam Nobiles, vel Civitates, jure contractûs, vel præscriptionis, tenent, iterum analogiâ quâdam ex Iurisdictione illâ, quam Imperator Principibus, Civitatibus Imperialibus, aliisve concessit, æstimare licet (b). Principes enim imitati in hoc videntur Imperatores, quòd non minùs, ac illi, dominii quodam jure Iurisdictionem in quosdam subditos suos transtulerint (c). Quemadmodum igitur Imperatori primam inferiorum Iudicum instantiam turbare fas non est (d); sic nec Principibus hoc licet. Quò pertinet, quod Baldus scripsit (e), quòd dominus concedens castrum alicui in feudum, non possit cognoscere de causis primis rusticorum, quia vasallus jura habet utilia, & ideo præferendus. Præterea quemadmodum Imperatori non licet avocare causam ab inferiori ad suum judicium, nisi quibus casibus jure permissum, verbi gratiâ, cùm Judex inferior suspectus est, vel Iustitiam denegat (f): sic nec Principi aliis ex causis litem in inferiori Iudicio per modum contractus ab ipso constituto pendentem avocare potest (g). Quemadmodum autem omnis concessio Imperatoris intelligitur, salvâ Superioritate Imperiali (h) ita etiam omnis concessio Principum intelligitur salvâ Superioritate

(a) Nov. 15. Gloss. in l. Nemo in verb. auxil C. de jur.

(b) Vult. in l. ult. C. ubi in rem act. C. Leipold. de conc. jurisd. q. 9.

(c) Matth. Steph. de jurisd. l. 2. p. 1. c 7. m. 2. n. 142.

(d) supr. c. 3. th. 35.

(e) in l. 1. q. 44. ff de rer div. Reink. de reg. sec. l. 1. cl 5. c. 11. & c. 7. n. 22.

(f) supr. c. 3. th. 38.

(g) vid. Fürstl. Braunsch. Hoffger. Ord. t. 25. § weit. Ord. un woll.

(h) Sixt. de Reg. 1. c 5. n 122. Ant. Fab. Cod. lib. 3. tit. defin 17. n 6

ritate Territoriali (a) Itaque & appellationes recipere, & aliis modis inferiorum iudicium peccata & errores corrigere possunt. Possent id genus multò plura ex eodem fundamento deduci, sed non est opus, quæ ab aliis satis prolixè explicata sunt, hoc loco repetere. Nobis igitur istæc indicasse sufficiat.

XLI. Sic igitur per omnes Reip. partes analogiam illam, quæ inter Regimen, quo Principes territoria gubernant, & summi Imperii Rempubl. intercedit, ostendimus. Aliâ enim methodo formam administrationis, quæ plerisque Principibus communis est, generaliter considerare vix licet. Pleraque enim cætera, quæ ab analogiâ istâ abludunt, in aliis Regionibus aliter atque aliter se habent, ut experientiâ potiùs addiscenda videantur, quàm doctrinâ aliquâ generali. Itaque nec nos quicquam eius generis attingemus. Quæ autem hactenus explicavimus, cùm propterea omnibus, vel plerisque Principum Regionibus communia sint, quòd hæc ex communis summi Imperii cognatione trahant, ex eo tanquam vero principio deduci debuerunt. Nec de methodi huius utilitate dubitare poterunt illi, qui norunt, quantum in Iuris Prudentiâ nostrâ argumentis à rerum proportione & similitudine petitis tribuatur; ut taceam, quòd ab ipso Aristotele satis autoritatis & commendationis habeant.

XLII. Antequam autem finem huic Capiti imponamus, removenda adhuc est obiectio quædam, quæ comparationi huic, quam inter Principum & Imperii administrationem instituimus, obstare videtur. Etenim multa eorum, in quibus similitudinem istam annotavimus, etiam in aliis Regnis & Rebusplubl. extra Imperium nostrum locum habere videntur. An igitur exteros quoque in Republ. constituendâ ad nostrum exemplum respexisse dicemus? Si hoc verisimile nõ est, ne id quidem dici poterit, Principes nostros Regiminis sui statum ad Imperii exemplum formasse; nec id evincunt vestigia illa similitudinis, quæ nos notavimus, cùm in aliis Rebuspl. etiam ab Imperio nostro planè alienis quodammodo cernantur. Non igitur maioris momenti fuerit comparatio, quàm nos instituimus, quàm si duas Respubl. planè separatas, conquisitis undique similitudinis cuiusdam argumentis, invicem conferre velis; quod

(a) Corre-fer. in causâ Mäintz contra Erfurt. apud Kloc. vot Camer. rel. 169. n. 132 Matth. Steph. de jur. lib. 2. p. 1 c. 7. m. 2 n. 145.

ſanè fieri poſſet, cùm neceſſe ſit, ut Civitates, quæ unum idemque Reip. genus habent, multis etiam ſimilibus inſtitutis utantur. Ex. gr. Civitates Imperii noſtri, quarum Reſpubl. Democraticæ ſunt, multa ſimilia inſtituta habere oportet, cum Civitatibus antiquæ Græciæ. Si quis igitur ex eâ cauſâ cum his illas comparare vellet, quodnam operæ pretium facturus eſſet?

XLIII. Verùm ad hanc quidem objectionem facilè reſponderi poteſt. Fieri enim ſanè poteſt, ut longè diſſita Regna, & Civitates planè ſejunctæ, ſimilibus quibuſdam inſtitutis utantur: ſed hoc ex accidenti eſt. Quòd autem Reſpublicæ iſtæ, quarum altera ab alterâ originem trahit, ſimile quid inter ſe habeant, quodque inferiores reſp. inſtituta ſuperioris Imperii æmulentur, id per ſe fit, & certâ ratione nititur. In hominibus etiam tale quippiam contingit. Solent enim parentibus liberi, fratres fratribus facie ſimiles eſſe. Interdum verò etiam inter homines planè extraneos miram quandam formæ ſimilitudinem animadvertimus. Sed illa quidem, quæ inter perſonas cognatas eſt, naturalis; quæ verò inter extraneas intercedit, ex accidenti eſt. Eodem igitur modo in Rebuſpubl. ſe res habet. Deinde tamen hoc quoque notandum, ſi vicinæ gentes inſtituta quæd. noſtris ſimilia habent, cauſam ejus rei hanc eſſe, quòd Coloniæ Germaniâ noſtrâ egreſſæ, quæ longè lateque diſperſæ ſunt, mores noſtros, ceu fieri ſolet, in terras peregrinas, quas occupaverunt, ſecum invexerint. Notum quoque eſt, quàm latè olim Imperii noſtri poteſtas ſe extenderit, ut adeò mirum non ſit, inſtituta aliqua illius ad exteras nationes manaſſe. Uno exemplo id probaſſe ſufficiat. Conſuetudines feudales originem ſanè trahunt à gente Germanicâ: non tamen in ſolâ Germaniâ, ſed, ubicunque Germani ſedes poſuerunt, inveniuntur *(a)*; ideoque adeò latè patent, ut nonnullis locum juris gentium habere viſum ſit *(b)*. Quòd feudis accidit, aliis quoque inſtitutis accidere potuit: & proinde objectio paullò antè mota nobis planè non adverſatur.

(a) Grot. de jur. bell. & pac. lib. 1. c. 3. n. 23.
b) Weſemb. in procem. tract. de feud.

CAPUT V.

DE CIVITATUM IMPERIALIUM, NECNON LIBERORUM EQUITUM POTESTATE ET REPUBL.

I. Aliquantò graviùs, ei quod de Superioris & Inferiorum Rerump. similitudine diximus, obstare videtur Civitatum Imperialium exemplum. Hæ enim à formâ Reip., quâ Imperium administratur, quàm longissimè recedunt. Quâ igitur ratione similitudo inferiorum Rerump. cum Superiori defendi potest? Procul dubio enim Civitates Imperiales æquè Imperii membra sunt, ac Principes, eodemque, quo illi, jure in Rep. administrandâ utuntur. Econtrariò tamen negari etiam non potest controversiam aliquam status iis à nonnullis antehac factam fuisse. Fortassis igitur diversitas Reip. occasionem aliquam iis præbuit, jura Civitatum impugnandi. Antequam autem hoc ostendamus, breviter, quâ ratione has Reip. formas, quibus hodie reguntur, nactæ sint, exponendum est.

II. Quanquam enim Rebuspubl. inferioribus conveniat, superioris Reipubl. administrationem imitari: non tamen hoc tantæ necessitatis est, quin sæpe aliter se habeat. Multa enim accidere possunt, quæ hoc impediant; ut sunt res Civiles nimis multis accidentibus obnoxiæ. Quemadmodum igitur fieri potest, ut homines contrariis studiis, amicitiâ aliquâ conjungantur: ita contingit etiam, ut contrariæ Respubl. sub uno Imperio consocientur; quod vel solius veteris Romani Imperii exemplum docere potest. Mutationes etiam sæpe, vel in superiori, vel inferioribus Rebuspubl. contingunt, ut licèt ab initio similes sint, postea planè diversæ fiant. Hæc sanè ratio est, quòd Civitates Imperiales diversam planè à cœteris Imperii Regionibus administrationis formam habeant. Gubernabantur enim olim à Principibus, Comitibúsve, aut Imperatoris præfectis, planè ut cœteræ Regiones. Quoniam autem hæc administrationis forma gravis ipsis visa fuerat, paulatim sui juris factæ, liberiorem Rempubl. instituerunt, ut suprà narravimus (a). Regi autem cœperunt per Consules & Senatores, ex nobilioribus civibus electos. Exemplum hujus novi regiminis peti potest ex Republ. antiquâ Spirensi, quàm describit Lehmannus (b). Migrarunt itaque in statum priori

(a) c. 1. th. 7.

(b) lib. 4. Chro. Spir. cap 11. & 13.

priori administrationi proximum, Aristocraticum nimirum, ut licèt superiori Reipubl. exactè non responderent, quàm proximè tamen ad eam accederent. Accedit, quòd ejusmodi Reipubl. status antiquis moribus Germaniæ, prout eos descripsit Tacitus, conformis sit. Duravit autem hæc forma regiminis in quibusdam Civitatibus Imperialibus satis diu. Cùm autem Patricii superbè imperitare inciperent, plebs autem incremento jam divitiarum & multitudinis aucta hoc indignè ferret, sub initium seculi decimi quarti, seditiones passim exortæ sunt; id quod exemplis Argentorati, Moguntiæ, Hagenoæ, Wormatiæ, Spiræ, aliarumque Civitatum declarat paulò antè laudatus Lehmannus (a). Ita factum, ut tandem Patricii omne Imperium amitterent, & Respubl. Optimatium in Democratias, vel Politias, mutarentur. Paucorum enim status vix in unâ, aut alterâ, Civitate hodie superest. Sed hæc prolixiùs explicare non est nostrum.

(a) lib. 4. Chro. Spir. cap. 3.

III. Hoc nunc autem latere ampliùs non potest, quid Andream Knichium (hic enim omnium acerrimè jura Civitatum impugnavit) moverit, ut licet ἡ Αὐτοκράτεια Civitatum Imperialium satis manifesta sit, Superioritatem tamen iis negaret. Occasionem enim hujus rei ex eo arripuit, quòd Civitates abierint à forma reip. quâ cœteræ Regiones, quæ ad ipsius Imperii administrationem propiùs accedunt, utuntur. Nam Potestatem illam, quæ Superioritas Territorialis vocatur, nonnisi jure Principatus, dicit (b), competere, & Regiæ dignitati, qualem Principes & Comites habent, annexam esse; quam cùm Civitates, quæ à Regia administratione longè alienæ sunt, non habeant, nec ipsam Superioritatem habere, aut certè, si quid ejus habeant, hoc tamen iis non ipso jure, ut Principibus, competere, sed vel ex speciali indulgentiâ, vel ex præscriptione tanti temporis, cujus memoria non extet: quasi hoc extraordinarium aliquid sit, Regiam illam potestatem, quâ Principes in ditionibus suis quasi quosdam Imperatores repræsentant, Civitatibus Regiæ dignitatis expertibus attribui.

(b) in lib. de jure territ. c. 1. n. 1074. & in vellt. apolog. n. 12 & seqq.

IV. Cumprimis verò disputationes ejusmodi, hominumque dissensiones ex mutatione Reip. o iri solent. Supersunt enim plerumque Rep. mutatâ veteris administrationis vestigia: manent anti-

qua vocabula: dignitates & honores retinent sæpe illi, quibus nulla supereſt poteſtas: aliis verò, quibus tantundem tribuitur poteſtatis, eodem honoris gradu non cenſentur, id quod paſſim exemplis comprobant rerum Civilium hiſtoriæ, & notatur etiam ab Ariſtotele (*a*). Quoniam igitur talis olim erat Imperii Status, ut Principes quidem Regiones ſibi ſubjectas magnâ cum libertate adminiſtrarent, Civitates verò, vel Imperatori, vel Principibus, planè ſubjectæ eſſent: quid mirum, licet, poſtmodum mutatione factâ, Civitates libertate adminiſtrationis Principibus æquatæ ſint, ita tamen antiquiorem illum Statum adhuc inſidere nonnullorum animis, ut necdum hodie Civitates Principibus poteſtate æquales cenſeant. Haud parùm eos in hâc opinione confirmaſſe videtur vocabulum vernaculum, quo poteſtas Imperii iſtius, quo Ordines Germaniæ ditiones ſuas regunt, ſignificatur. Quoniam enim hæc poteſtas ſolis Principibus ab initio competebat, licet poſtmodum aliis etiam communicata ſit, utimur tamen plerumque adhuc vocabulo illo ſpecialiori. Der Hohen Landes-fürſtlichen Obrigkeit / quod ſolos Principes reſpicit. Inde verò difficultas oritur, quomodo illud Civitatibus Imperialibus accommodari poſſit. Deinde etiam nonnulla veſtigia veteris ſubjectionis in iis ſuperſunt. Nam in Regionibus Principum ſubditi ſuis quique Dominis juramento ſubjectionis, quod homagium vocatur, obſtringuntur. At Cives ſinguli Civitatum Imperialium etiam ipſi Imperatori hoc juramentum præſtare tenentur. Præterea quædam Civitates Imperiales ad annuam quandam pecuniæ præſtationem Imperatori obligantur: ipſi etiam Principes magna ſæpe jura in Civitatibus olim ſibi ſubditis adhuc habent: in nonnullis nomen & officium aliquod præfecti Imperialis ſupereſt (*b*). Hæc atque id genus alia glaucoma illis autoribus objeciſſe videntur, ut Civitatibus Ius Territorii negarent, & principatus tantùm jure exerceri poſſe contenderent. Neutiquam verò opus eſt, pluribus hoc refutare. Nam & Veterum doctrinæ adverſatur (*c*), & hodie à plerisque improbatur (*d*), & ipſa experientia aliud docet. Sufficere nobis poteſt publica Imperii deciſio in tranſactione Osnabruggenſi (*e*), ubi tamen hoc notandum: quoniam nonnulli, licèt rem ipſam Civitatibus imperialibus concedant; de nomine tamen Superioritatis Territoria-

(a) lib 4. Polit c. 5.

b) Beſold. d. jur. & Imp. Civit. Imper. concl. 3

c) Gail. de pac. publ. l. 1 c. 7. n. 11.

d) quos allegat. Limn de jure publ. lib 7. cap. 1 n. 50.

e) Inſtrum. Pac. Cæſar. Suec. c. 8. § tam in univerſal.

torialis iis controversiam faciunt *(a)*, propterea quòd hoc ipsam dignitatem regalem simul comprehendere ipsis videatur; hæc, inquam, fortassis causa est, quòd Instrumentum Pacis ibi circumlocutione aliquâ, quàm ipso vocabulo Superioritatis Territorialis uti maluerit. Verba sunt hæc: *Iisque* (Civitatibus Imperii) *rata & intacta maneant Regalia, vectigalia, reditus annui, Libertates, Privilegia confiscandi, collectandi, & inde dependentia, aliaq́; jura ab Imperatore & Imperio legitimè impetrata, vel longo usu ante hos motus obtenta, possessa & exercita, cum omnimodâ Iurisdictione intra muros, & in territorio.* Sed cùm de re constet, de vocabulis non est litigandum. Hactenus de Civitatibus imperialibus.

V. Superest, ut de libera Nobilitate, an genus aliquod Reip. imprimis verò an Superioritatem Territorialem habeat, quæramus. Posterior enim hæc quæstio dubia admodum est. Nonnulli quidem non dubitant affirmare, liberis Equitibus non minùs, quàm Ordinibus Imperii, Superioritatem Territorialem competere *(b)*. Omnem enim Jurisdictionem, dicunt, exercere in subditos, statuta condere *(c)*, regalia *(d)*, jura Austregarum *(e)* habere, Pacis religiosæ *(f)*, aliarumque Constitutionum Imperii capaces esse. Quid igitur deest, quò minùs Ius Superioritatis iis tribuamus ? Nec putandum, propterea iis hoc denegandum, quòd suffragii jure in Comitiis Imperii careant. Hæc enim jura planè separata sunt; cùm alterum ad summam Remp. alterum ad inferiorum ditionum administrationem spectet; quæ separata esse possunt. Alii tamen negant, liberos Equites Superioritatem Territorialem habere *(g)*. Quicquid enim habeant Iurisdictionis, vel regalium, id eos non jure Territorii, sed ex speciali privilegio habere dicunt [*h*]. Atque hæc quidem sententia magis videtur probabilis, ac altera ista: ratio autem, quæ aliàs obscura videtur, petenda ex iis, quæ suprà de Superioritate Territoriali dicta sunt.

VI. Superioritas enim Territorialis proportione quâdâ Iuribus Majestatis respondèt. Iura autẽ Maiestatis habere censetur, nõ qui cuicũq; hominũ cœtui, sed qui societati Civili summâ cum potestate præest. Si, verbi gratiâ, paterfamilias, nulli Reip. subjectus, summum in suos imperium exerceat; quomodo sanè Veteres, antequam in Civitates

(a) Limn. dict. loc.

b) Bidenb. qu nob. q 1. n. 11. Reink de reg. sec. & eccl. 1. cl. 5. c. 3. n. 55.

(c) Ruland. de Comm. p 2. l. 5. c. 4. n. 49.

d) Sixt. de Reg. l 1. c. 4. n. 92

e) Ord. Cam. p 2. tit. 3.

f) Instr. Pac. cap. 5. n. 10.

g) Goedd in resp. de Bar. Vall. n. 370. Rumel. ad Aur. Bull. diss. 1 in fin.

h) Besold. in th pract. verb. Freye Reichs Ritters.

§. aus welchen.

 coirent,

coirent, familias suas regebant (a), atque ejusmodi familias in multis Mauritaniæ, & Americæ regionibus supeeresse, scribit Bodinus (b); etsi igitur, inquam, talis paterfamilias latifundia supremo dominii jure possideat, jus vitæ & necis in suos exerceat, bellum etiam gerat, pacem & fœdera cum vicinis faciat; nemo tamen eum vera jura Majestatis habere dixerit. Hæc enim ad Remp. regendam referuntur. Eâdem igitur ratione non quilibet Imperio nullo medio subjectus Superioritatem habere dici potest. Certè liberos illos homines, quorum meminit Goldastus, cùm ita scribit [c], Es d Reichs sind freye Reichs-leute auff der Leitkircher Heyd / vnd zu Megshandel. loß / superioritatem territorialem habere nemo dixerit; ne vicos quidem immediatos illos, quorum suprà (d) mentionem fecimus. Superioritas enim territorialis, tanquam summæ Majestatis genus analogum quoddam, in regenda Republ. aliquâ versatur. Hoc sanè dicere volunt, qui definiunt Territorium, quod sit *universitas ditionis, quæ specialem habet titulum, & ad unius justam administrationem respicit* (e). Justa enim administratio quæ alia est, quàm quæ justam Civilis regiminis speciem habet. Non igitur cujuslibet spatii terræ libera possessio sufficit ad hoc, ut quis Superioritatem habere dici possit, sed tanta universitas ac ditio requiritur, ut justæ Reipubl. capax sit; quam certè non habent Equites illi liberi. Besoldus (f) quidem notat, reperiri inter eos, qui amplissima bona, amplissimumque territorium teneant, ita ut nonnullis etiam Comitibus & Baronibus in eo æquiparari facilè possint: non tamen addit, quo jure ea habeant, an omnia ab Imperio, an quædam etiam à vicinis Principibus, ut solent (g). Hoc certum est, plerosque eorum non habere territorium tantæ magnitudinis, ut justam capere possit societatem Civilem. Quantumvis amplam igitur potestatem habeant in subjectos sibi homines; veram tamen Superioritatem non habent. Quin etiam nonnulli nihil habent bonorum immediatè Imperio subjectorum, sed personâ tantùm liberi sunt (h). Hinc etiam evenit illis idem, quod liberis istis patribusfamiliarum, de quibus antè locuti sumus, qui cùm sparsim quisque sibi viverent, coacti tandem sunt in societatem Civilem coire. Sic liberi Imperii Equites animadver-

(a) Arist. Polit. l. 1. c. 2

b) de Rep. lib. 1. cap. 6

(c) in epist. dedicat.

Mag. de advocat. arm cap. 6. n. 26

d) c 1. n 8.

e) Mynsing cent. 4. observ. 87.

(f) de ord. Equest n. 11

g) Ruland. de Comm. p 2 l. 5. c 4 n 50.

h) Ref. ap. Kloc. vot. Cam. rel 73. n. 9.

madvertere cœperunt, ſingulos ſibi non ſufficere. Proinde ſocietatem inter ſe inſtar Reipubl. fœdere & pacto inſtituerunt. Habent enim Senatum Equeſtrem, einen Ritter-Rath / Concilia, Ritter-Tage / magiſtratus, Oberhauptman / und Unterhauptleute / Leges & conſuetudines, aliaque Reipubl. inſtituta: de quibus, quoad Nobilitatem Franconicam, plura tradit Wehnerus (a). Eâdem ratione olim inſtitutæ ab ipſis ſunt ſocietates Ganerbiorum, quas itidem explicat Wehnerus (b).

(a) in pract. obſ. verbo Freistag.
(b) verb. Ganerben.

CAPVT VI.

DE USU ET AUTORITATE JURIS CIVILIS PRIVATI IN JURE TERRITORII.

I. Hactenus præcipua, quæ ad Regionum Imperio noſtro ſubjectarum adminiſtrationem pertinent, perſecuti ſumus. Conſideravimus, qualis poteſtas ſit Superioritas territorialis, quid ex ſummâ poteſtate Civili habeat, & econtrario in quibus Imperio ſuperiori ſubjecta ſit: deinde qualis Reip. forma in præcipuis Germaniæ Regionibus obtineat, quomodo ſummi Imperii regimen imitetur, per omnes reipubl. partes explicavimus: denique reliquas etiam reſpubl., quæ formam peculiarem & à cœteris diverſam habent, tetigimus. In pleriſque Ariſtotelis methodum ſecuti ſumus, cujus doctrinam ad argumentum noſtrum, quatenus opus fuit, & fieri potuit, adhibuimus. Unum igitur supereſſe videtur, quòd in doctrinâ Politicâ penè præcipuum, & ab Ariſtotele traditur libro quinto Politicorum, ubi cauſas ſeditionum, mutationum & corruptionum, quæ accidunt Rebuſpubl. explicat. Tradit autem, duo eſſe genera cauſarum, quæ ſtatum Reip. convellant. Nam *omnes*, inquit, (c) *Reſp. franguntur atque intereunt modo èx ſe, & à cauſis internis; modo extrinſecus, & à cauſis externis: à cauſis internis, cùm ſeditiones excitantur; ab externis, cùm vicina & propinqua eſt Reip. adminiſtranda forma contraria.* In univerſum verò ad cauſas etiam externas referendum eſt, quando potens aliquis Vicinus Civitatem, vel aperto bello, vel occultis inſidiis, ſub

(c) lib. 5. Polit. cap. 7.

jugum

jugum mittit. Utrique igitur malo, tum quod ab internis, tum quod ab externis causis imminet, remediis occurrendum est. Ab internis quidem quomodo præcavendum sit, accuratè exponit Aristoteles (a), ubi de conservatione Rerump. tractat. Adversus vim externam Civitas, cùm fœderibus, tum rei bellicæ institutione munitur. Hæc igitur omnia in Civitate curanda sunt.

(a) l. 5. Pol. cap. 8. & 11.

II. Attamen, si rectè perpendimus, magis hæc ad liberas Civitates pertinere videntur, quàm ad eas, quæ Superiorem agnoscunt. In illis enim, cùm sibi relictæ sint, ad sese conatur trahere Remp. qui viribus & factione prævalet: hæ verò metu Superioris tranquilliores sunt. Præterea lites, quæ cum Civitatibus eidem Imperio subjectis intercedunt, nō bello, sed iudicio dirimuntur. Securitatis verò adversus exteros procuratio non tam ad singularum Civitatum, quā ad Communis Imperii officium spectat. Hàc enim maximè causâ eas sub unum commune Imperium coalescere diximus (b), quò sub ejus tutelâ, tum à domesticis seditionibus, tum ab omni externo impetu tutæ sint. Itaque si communis Imperii Respubl. rectè constituta sit, ut in conservando inferiorum Rerumpubl. statu officio suo fungi possit, non est iis tantopere à seditionibus & corruptionibus metuendum. Superiori tamen ævo, turbulento illo Germaniæ statu, variæ mutationes cùm in Regionibus Principum, tum etiam in Civitatibus Imperialibus contigerunt. Pessimè enim habebat imperii Respubl. Demto hoc freno non aliter vivebatur, ac si liberas planè Respubl. haberemus, nulli communi Imperio subjectas. Itaque & bella infandâ licentia inter Ordines imperii, & seditiones inter Principes & subditos, inter magistratus & Cives movebantur. Nunc autem aliquantò rectiùs constitutâ Republ. Imperii, inferiores etiam Respubl. pacatiores sunt. Controversiæ enim, quæ vel inter diversos Ordines Imperii, vel in ipsis Regionibus inter Imperantes & subditos, vel eos, qui unà Remp. administrant, existunt, non bello, aut tumultu intestino, sed legitimis judiciis disceptantur. Hæc enim omnia Pacis publicæ Constitutione sancita sunt. Jam igitur facilè liquet, quid nobis agendum restet. Quò enim statum & jura Regionis judicio tueri possimus, quomodo jure eâ de re experiamur, considerandum est.

(b) c. 1. th. 14.

III. Hunc sanè scopum præcipuè propositum habuisse videntur

tur ICti, qui hoc argumentum attigerunt. Sic enim omnia ad iudiciorum utilitatem referunt, ut facilè appareat, Judiciariam potiùs, quàm Politicam, prudentiam eos instruere voluisse. Verbi gratiâ, cùm Jura plerumque obscura sint, itaque in judiciis consultum sit possessione præcipuè niti (a); ita explicant partes Superioritatis Territorialis, ut quomodo ex earum exercitio quasi possessio superioritatis arguatur, ostendant (b). Actiones etiam enumerant, quas instituere licet: cumque actiones ex iure oriantur, ipsam Superioritatem Territorialem tanquam ius in re, nec non modos acquirendi exponunt. Breviter quamplurima, quæ iuris privati sunt, adhibent. Absque omni dubio autem Superioritas Territorialis iuris publici est. Quomodo igitur ex iure privato de eâ iudicari potest? aut quid Iuri publico cum privato commune? Annon ius publicum ad statum reipubl., Ius privatum ad domestica & familiaria negotia pertinet (c)? Fortassis igitur cum Cicerone (d) quis dixerit, Jurisconsultos illos *magna professos, in parvis esse versatos*, aut saltem in aliud genus, ut Philosophi loquuntur, transcendisse. Verùm quamvis primo intuitu res dubia videatur: facilè tamen ostendi potest, methodum illam Jurisconsultorum summâ ratione niti; id quod ex iisdem, quibus hactenus usi sumus, principiis manifestum fiet.

IV. Quando Civitates diversæ sub unum commune Imperium coalescunt, rediguntur quodammodo in eum statum, quo sunt singuli privati patresfamilias in mediocribus Civitatibus. Imperium enim magnæ cujusdam Civitatis locum habet, cui subiiciuntur minores Civitates, quemadmodum singularibus Civitatibus subjectæ sunt familiæ privatæ. Hinc ipsas Civitates Imperiales Cives Imperii vocamus; quod nomen aliàs in Civitatibus privatis patribus familias competit. Principes etiam, quatenus Territorii quisque sui Rectores & domini sunt, Cives Imperii dicuntur. Rectè igitur se habet, quod scribit Reinkingius (e): *Quamvis Principes Imperii respectu suorum subditorum publicam personam sustineant: respectu tamen Imperatoris, & totius Imperii, unde Regalis dignitas, quam possident, dependet, pro privatis habendi; ut in simili Civitates respectu Romæ omnes censentur loco privatorum* (f). Quoniam igitur Civitates & Principes certâ quâdam ratione privati sunt, necessariò sequitur jura etiam

(a) l. is qui destina. 24. ff. de rei vindi.

(b) Andr. Knich de jure territ. c. 3. Reink. de reg. sec lib. 1 clas. 5. c 4 Ming. de Super. Territ. c. 5. Matth. Steph. de jurisd. l. 2. p. 1. c. 7 Thô. Mich. de jurisd. th. 44. & seqq.

(c) §. ult. Inst de inst. & jur.

(d) lib 1 de Legib.

(e) de reg. sec. & Eccl. lib 1 cl. 4. cap. 17.

(f) l. 16. ff de verb seq. add Paurm de Iurisd. l. 1. c. 25. n. 13.

privatorum eâdem ratione eis accommodanda esse. Manifestius autem adhuc erit, si finem consideremus, cujus gratiâ singulares Civitates in Imperium, tanquam superiorem quandam Civitatem, conjungantur. Inter ea enim, quæ ad finem societatis Civilis pertinent, vel præcipuum locum habet judiciorum constitutio, quò privati controversias non armis, sed in judicio actionibus disceptent, ut docet Aristoteles (a). Eodem verò fine Civitates in latissima Imperia coalescere, suprà tradidimus (b). Loco igitur bellorum, quibus confligerent, si sibi relictæ, nullique Superiori subjectæ essent, actiones eis, tanquam privatis tribuuntur. Iura autem belli quidem publica sunt: at actiones ad jus privatum pertinent (c), cùm singulorum utilitatem respiciant. Has igitur jure privato proditas actiones ad Civitates & provincias, si de earum jure controversiæ oriantur, interpretatione extendimus.

(a) l. 1. Polit. c. 2. in fin.
b) c. 2. th. 11.
c) § ult. Inst. de jur. Nat. Gent. & Civ.

V. Planè contrarium accidit, si contingat, familiam aliquam seorsim consistere, nulli Civitati subjectam. Tunc enim domus instar Civitatis, & Paterfamilias instar Principis ac Regis est. Nam *domo suâ tanquam Civitate utitur*, ut loquitur Aristoteles (d). Multa igitur jura, quæ aliàs publica sunt, & ad Remp. spectant, ejusmodi patrifamilias tribuenda sunt. Summum enim in suos imperium, omnemque Jurisdictionem exercet, quod Aristoteles (e) autoritate Homeri ostendit. Potestatem etiam belli, & pacis, & fœderum, habet: qualis sanè paterfamilias Abrahamus erat, qui trecentos octodecim armatos domo suâ educebat & Reges finitimos bello persequebatur [f], cum aliis verò fœdere coniunctus erat. Quemadmodum igitur patrifamilias belli, aliaque publica jura tribuuntur, quando familia illius eo statu est, quo est Civitas: ita Civitatibus, earumque Principibus applicantur actiones, aliaque jura privata, quando eo statu sunt, quo privati in Civitatibus, id est, quando superiori alicui Civili Imperio subjecti sunt. Non autem putandum, nos intelligere actiones, quas fortè Principes de rebus merè privatis instituunt; si v. gr. emerint, venderint, vel aliud tale negotium contraxerint. Quis enim dubitat, Principes in hujusmodi negotiis, ut merè privatas personas considerari [g]. Nobis verò propositum est ostendere, ipsi illi Imperio, quod Principi, quatenus Princeps

d) lib. 3 Polit. cap. 7.
e) lib. 1. Polit. cap. 2.
f) Genes. c. 14. vers. 14
g) Gail. 2 observ. 55.

ceps est, in subditos, atque in universam ditionem tribuitur, jura aliqua privata applicanda esse. Jam enim demonstravimus, de ipso statu Civitatis ac Territorii actionibus, quæ aliàs ad ius privatum referuntur, disceptari.

VI. Nunc igitur ulteriùs jus, ex quo actiones illæ originem habeant, quærendum est. Quoniam enim actiones istas ex actionibus, quibus privati inter se utuntur, interpretatione quâdam deducimus: etiam ius, ex quo actiones hæ oriuntur, itidem ex analogia juris privati spectandum est. Quemadmodum igitur singuli privati patrimonii sui dominium habent: sic & ipsa Civitas universale quoddam dominium Regionis, omniumque ejus partium habet. Quò pertinet illud Dionis Prusæensis (a): *Regio Civitatis est, at non eò minùs in eâ suum quisque possidet.* Quanquam enim hoc jus, quod Civitati in universam Regionem competit genus aliquod diversum sit à dominio rerum privatarum, haud exiguâ tamen analogiâ cum eo congruit. Itaque ab aliis quidem distinguitur, ab aliis autem etiam nomen dominii ei tribuitur (b). Grotius autem dominium eminens vocat [c], ut à vulgari privatorum dominio distinguat. Hinc modos acquirendi, amittendique dominii & imperii, unâ eademque viâ tractat [d]. Quin etiam tradit [e], ipsa summa imperia quandoque in patrimonio censeri Imperantium, & pleno jure proprietatis ipsorum esse. Mox extendit hoc [f] ad imperia non summa, id est jura Superioritatis Territorialis, ut apud nos vocantur. Et certè Ordines Imperii nostri Superioritatem Territorialem dominii quodam jure habere, vel inde constare potest, quod plerique eam jure feudi habeant. Feudum autem utile quoddam dominium est (g). Jam facilè intelligitur, quantus nobis aditus ad jus privatum patefactus sit. Præcipuum enim totius iuris privati caput dominium est, ex quo reliqua ferè derivantur. Non immeritò enim Plato censebat, Meum & Tuum fontem esse omnis discordiæ. Ubi autem dominium, ibi & possessio. Ergo hoc quoque iuris privati Caput adhibendum est. Ex huiusmodi igitur, & id genus aliis (nam multò plura inde fluunt) iuris privati capitibus actiones, quæ de Iure Territorii instituuntur, diiudicandæ sunt: atque hâc de causâ ICti de eo, tanquam de Iure ali-

(a) Orat. XXXI.
b) vid. apud Grot. d. jur. bell & pac. l. 2. c. 3. n. 4. & in not. ibid.
(c) de jur. bell. lib. I. cap. I. n. 6.
d) lib. 2. cap. 3. 4. 6. & 9.
e) lib. 2. c. 3. n. 11.
f) ibid n. 14.
g) 2. feud 8. § rei autē.

quo privato, egerunt. Antequam autem singula specialiter attingamus, una, alteráve, obiectio removenda est.

VII. Primò enim satis manifestum est, non obstare nobis id, quod antè dictum est de diversitate iuris publici & privati. Hæc enim impedimento esse nequit, quò minùs pro re natâ ab altero ad alterum argumenta sumantur. Aristoteles ius, quòd inter parentes & liberos, maritum & uxorem, inter dominum & servum intercedit, investigaturus, ex analogiâ quâdam Reip. quæ in domesticis societatibus cernitur, principia petit. Societatem enim patris & liberorum cum Regno, societatem coniugalem cum Aristocratiâ, societatem domini & servi cum Tyrannide confert (a): & inde, quodnam cuiusque ius & officium sit, demonstrat. Ille igitur ius privatum ex iure publico declarat. Nos quasi contrariâ methodo iura Ordinum Imperii, quibus Regiones obtinent, ex iure privato, dominii, possessionis, & id genus aliis partibus, interpretamur, quò inde actiones eliciamus. Quando enim in Iudiciis Imperii Ordines de Iure Regionum, quibus præsunt, litigant, quasi privatas personas sustinent. Actiones igitur eis ex Iure privato accommodantur. Hæ enim, & Iura, unde petuntur, ex Iure privato nota sunt. Ex notioribus autem in rerum cognitione semper progredimur (b).

IIX. Nec obstat, quod non omnia dominii, aliarumque privatarum rerum Iura Superioritati Territoriali conveniant, v. gr. libera illa facultas alienandi, & pro lubitu disponendi [c]. Nam & multas res privatas alienare non licet, quod tamen dominio earum detrimento non est. Neque nos hoc volumus, Iura privata promiscuè omnia ad jus Territorii trahenda esse. Jam tum enim monuimus, imperium in universam regionem non esse planè privatum dominium. Judicio igitur hâc in re utendum, ut decet JCtum, boni & æqui artificem [d]. Fortassis nonnulli hâc in re peccarunt: sed hæc artificum, non artis, culpa.

IX. Fuerunt tamen ex Ictis, qui hoc genus interpretandi, quo actiones privatas ad Iurisdictionem applicamus, planè reprehenderent. Ita Molinæus jus dicentibus nullum jus in re, nec possessionem, & consequenter nec possessoria remedia vel actiones competere contendit [e]. Cœterùm quanquam hoc verum sit, si jus Roma-

(a) l. 8 Eth. Nicom. c. 12. & 13.

b) Arist. l. 1. Eth. Nicomach. c. 2.

c) l. 21. C. mand.

d) l. 1. ff. de Iust. & Iur.

e) in consuetud. Paris. § 1. gloss. 5. n. 56. add. M Steph. de Iurisd. l. 1. c. 40. n. 3.

Romanum spectemus: juxta mores tamen hodiernos Imperii nostri aliter se res habet. Nam veteres Romani magistratus administratores tantùm erant Jurisdictionis. Si igitur controversia de eâ oriebatur, non ordinariam aliquam actionem instituere poterant, sed vel superiores magistratus extra Ordinem cognoscebant, vel Imperator, quamcunque volebat, legem dicebat. At in nostro Imperio Iurisdictio Ordinum adeò propria est, ut eam quasi patrimonii cujasdam jure possideant. Quapropter, quemadmoduum privati res, quæ in patrimonio sunt, sic illi Jurisdictionem ordinariis actionibus defendunt, vel vindicant.

X. Denique dixerit quispiam, nos renovare quæstionem illam de juris publici Justinianei in Germaniâ. Sed quid manifestius, hanc quæstionem longè esse diversam ab eo, quod nos quærimus? Non enim nos dicimus, Remp. Imperii nostri ex antiqui Imperii Romani statu cognoscendam; potestatem Imperatoris ex Lege illâ Regiâ, quâ populus Romanus *ei & in eum* (a) omne imperium transtulisse fertur, metiendam; Electores Præfectis Prætorio, Principes Præsidibus & Proconsulibus comparandos esse. Hanc, inquam, doctrinam dudum explosam nos non restauramus. Sed hoc dicimus, quia judicia inter Ordines Imperii de jure Territorii ad exemplum judiciorum privatorum instituantur, propterea, & à JCtis ad jus Territorii explicandum, & à Judicibus ad controversias eâde re exortas diiudicandas, multa jura privata adhiberi. Apparet sanè hanc à priori illâ longè diversam quæstionem esse. Itaque illam, quæ ad nos nunc non pertinet, ne attingimus quidem: hanc autem, quoniam ad argumentum, quod nobis sub manibus est, explicandum necessaria est, præterire non debemus. Percurrendo igitur summa Juris privati capita, quænam præcipuum usum hâc in materiâ habere videantur, breviter annotabimus. Utemur autem methodo in Jurisprudentiâ receptâ.

(a) §. 6. Inst. de jur. Nat. Gent. & Civ.

XI. *Omne jus*, inquit JCtus (b), *quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Verùm Iura personarum quidem missa faciemus. Jura enim parentum & liberorum, conjugum, & herilia, maximâ ex parte ad Principes, tanquam privatos, pertinent, & propterea à nostro instituto aliena videntur. Tutelæ tamen,

(b) l. 1 ff. de stat. hom. §. ult. Inst. de jur. nat. gent. & civ.

 quæ

quæ itidem ad jus personarum refertur (a), paulò alia ratio est. Quoniam enim tutores Illustrium personarum non patrimonium privatum tantùm, sed etiam ipsam ditionem administrant; certè tutela hæc, non merè privatum, sed potiùs publicum negotium censeri debet. Unde gravissimæ, ut notum est, contentiones de eâ existere solent. Leges autem publicas, quibus regatur, oppidò paucas habemus; nisi quòd de Electorum tutelâ nonnulla peculiariter constituta sint (b), quæ tamen ipsa multò maximis controversiis involuta sunt (c). Reliquorum Principum & Comitum tutelæ jura privata, vel Romana, vel Recessibus Imperii constituta, aut moribus recepta accommodámus. Quemadmodum igitur privatis (d), sic & Principibus permissum est, testamento tutores dare, quoscunque idoneos & fidos judicaverint, etiam mediatè Imperio subjectos, v. gr. unum, vel alterum ex Consiliariis ut sæpe solent. Hinc occasione juris Romani (e) quæstio exoritur, an tutor à Principe testamento minùs solenni datus egeat confirmatione. Schraderus (f) quidem, qui jus publicum magis respicit, & Principes in Territoriis suis instar Imperatorum considerat, nullâ putat opus confirmatione esse. Rosenthalius (g) verò contrarium statuit, quia Principes respectu Imperatoris & Imperii tanquam privatos considerat, ideoque juri privato inhærendum putat. Verùm hodie fortassis hujus quæstionis haud magnus usus est. Ex Constitutione enim Imperii qualescunque tutores fuerint, sive legitimi, sive testamento dati, administrationem nonnisi ex decreto magistratus suscipere debent (h).

XII. Quod si testamento tutor datus non sit, ei, qui jure successionis proximus est, onus tutelæ incumbit (i), quæ juris Civilis regula etiam ad feuda Regalia extenditur (k). Quoniam tamen alii persæpe successores allodiales, alii feudales sunt; hinc Camera Imperialis, nisi gravis causa aliud suadeat, plerumque cum agnatis etiam à parte matris cognatos ad tutelam gerendam conjungere solet: & si ex alterutro tantùm latere aliquem nominaverit is, qui tutorem pupillo petit, decreto moneri solet, ut ex alterâ etiam parte aliquem nominet, ceu docet experientia ferè quotidiana. Quoniam verò in tutelâ gerendâ reliquis propinquis jus Civile

(a) princ. Inst. de tut.
(b) Aur. Bull. cap. 7.
(c) Limn. de jur. publ. l. 1. c. 11. n. 103. & l. 3. c. 7. n. 37. & seqq.
(d) l. 1. ff. de test. tut. §. 3. Inst. de tut.
(e) l. 1. & 3. ff. de conf. tut.
(f) de feud. p. 10. sect. 19. n. 16.
(g) de feud. c. 12. concl. 10. n. 15.
(h) Polic. Ordn. zu Franckf. an. 1577 tit. von der pupillen vñ minderjähr. tutorn.
(i) pr. Inst. de leg. agn. tut. l. 1. ff. eod.
(k) Rosenth. dict. loc. n. 26.

Civile Romanum matrem & aviam, certis tamen conditionibus, præfert (a), quæri potest, an hoc etiam in tutelâ Ducum & Comitum, locum habeat. Sanè fuerunt, qui hoc in dubium vocarent (b). Nam *regimen mulieris*, inquit Rosenthalius (c), *in magnâ ditione periculosum, & non satis firmum videtur, nisi admodum idonea, quales paucæ reperiuntur, fuerit.* Hinc de Galliâ testatur Thuanus (d), quòd *fœminarum, ut successionem lege Regni nescit, sic imperium & administrationem semper fatalem experta sit.* Quicquid eius sit, nos sequimur authoritatem juris Romani. Itaque quamvis aliàs mulieres à civilibus officiis arceantur (e); matres tamen Ducum, Comitúmve, tutrices omnia Principum officia sustinent, regiones administrant, ipsius Imperii negotia procurant, nec minùs officiis illis Circularibus, der ausschreibenden Fürsten / funguntur, ut ex recenti Circuli Rhenani exemplo constat.

XIII. Quæ de dativâ tutelâ Iure Civili constituta sunt, ea itidem hîc locum habere, non potest esse dubium. Dat enim tutores Immediatis Imperii Civibus, vel Imperator, vel loco eius Camera Imperialis [f], quanquam Principes quidem in Aulâ ferè Imperatoris malint, quàm in Camerâ constitui, vel confirmari. Quæ autem de tutelâ dicta sunt, magnam partem etiam ad Curam pertinent. Hoc speciale est, quòd minoribus nonnisi volentibus curator detur, præterquam ad litem [g]. Unde in Camerâ Imperiali constitutio Curatoris, si non exhibito documento consensus petita sit, denegari solet [h]. Sed nostrum non est omnia, quæ ad hoc argumentum pertinent, recensere. Explicata uberiùs sunt, cùm ab aliis, tum à Rosenthalio [i], & Compilatore præiudiciorum Cameralium [k], qui Iura Civilia etiam ad tutelam Principum, aliarumque illustrium personarum extendunt. Nos nunc ad Iura rerum accedamus.

XIV. Hîc autem latè patet via ad jus privatum digrediendi. Nam Jurisdictio hodie ius aliquod in re esse, & quemadmodum jura incorporalia rei, sic Iurisdictio territorio inhærere censetur (l); quod cùm veteres penitus explanare cuperent, penè ridiculis similitudinibus usi sunt. Bartolus (m) enim Iurisdictionem territorio

(a) auth. sicram auth. Matri & aviæ C. quand. mul. off. tut.
b) Wurtsen. cōs. 66. n. 16
c) dict. loc. n. 25.
d) l. 1. hist.
e) l. 2. ff. de reg. jur.
(f) Gail. 1. obs. 1. n. 47. R. A. zu Speyr an. 1557. §. was dann.
g) § 2 Inst. de cur.
h) ita decr. ad supplic. D. Herrn vöstlisp. pro Ord. & conf. curat. 12 Nov. an. 1659. & in causâ Kochsd. contra Lichtest. 16. April. eod. anno.
i) de feud. c. 12. concl. 10 n. 11.
k) verb. tut.

(l) Thom. Mich. de Iurisd. th. 44. Paurmeist. de Iurisd. lib. 1. cap. 20. n. 8. & cap. 30 (m) l. fin. C. ub. & apud quos.

rio cohærere dixit, *ut nebula super paludem*; Baldus (a), *ut acidum & mucidum in vino*. Oritur autem omnis hæc doctrina ex moribus nostris hodiernis, non ex jure Romano. Quò igitur utilitatem eius ostendamus, præcipua jura rerum specialiter recensebimus. Principem locum procul dubio tenet dominium. Jus autem, quo Ordines tenent regiones Imperii, instar dominii se habere, paulò ante ostendimus. Nihil enim frequentiùs legas in JCtorum scriptis, quàm Imperii Proceres hodie Iurisdictionem, non jure precario, aut vicariæ administrationis, sed proprio, patrimonii, ac dominii jure tenere; quod fusè tractat Andreas Knichen (b). Sequitur inde, multa, quæ dominio insunt, ad Iurisdictionem & Superioritatem Territorialem extendi posse. Argumentum enim à dominio ad Iurisdictionem receptum est [c]. Quemadmodum igitur fructus & emolumenta rei ad dominium spectant, ita etiam omnis utilitas ex Iurisdictione proveniens spectat ad eum, qui eam jure utilis dominii habet, non ad superiorem. Unde vulgò privativè eam habere dicitur [d]. Hinc ex oritur gravissima illa quæstio, an, si subditus Principis committat crimen læsæ Maiestatis adversus Imperatorem, bona eius fisco Imperatoris, an fisco Principis cedere debeant: quâ de re disceptatum fuit inter Imperatorem & Electores in conventu Ratisbonensi anno CIↃ IↃCXXX. Hi enim ex eâ ratione, quam diximus, fiscum Ordinum Imperii prævalere dicebant: quam sententiam tuentur etiam quamplurimi ICti [e]. Sed nos hanc litem non facimus nostram. In universum verò effectus dominii tribuuntur ferè etiam Iurisdictioni (f), quorum aliquos infrà attingemus.

XV. Pergamus ad Servitutes, & id genus alia Iura incorporalia: quæ materia quanquam remotior primo intuitu ab hoc argumento videatur; apparebit tamen, & ipsam haud parum utilitatis habere. Loquimur autem præcipuè de Servitutibus realibus. Notum igitur est ex Iure Civili, per Constitutionem servitutis dominium prædii servientis quodammodo imminui. Pars enim inde decerpi, & prædii dominantis possessori attribui videtur. Quod enim dominus in suo faceret iure dominii, id jam extraneus jure servitutis facit: ut ecce, dominus in suo ire, agere, stillicidium, vel flumen immittere, pecus pascere, aquam ducere potest jure dominii: eadem tamen

(a) in l. 1. n. 29 C. qui accus. poss.

b) de jur. territ. ap. 1 n. 1311.

c) Meisch. tom. 2. l. 1. dec. 6. n 99.

d) Côler. de process. exec. p 2. c. 1. n 140. & seq.

e) vid. Reink. de reg. sec & Eccl. l. 1. cl. 5 c 7. n. 22. & seqq.

f) Paurm. de jurisd l 1. c. 29. n. 6.

men faciendi potestas specialiter & particulatim alteri Iure servitutis constitui potest. Hujus igitur rei similitudinem quandam in Iure Territorii etiam cernimus. Ius enim Territorii instar dominii universale est, & multa jura particularia complectitur (a, exempli gratiâ, ius Sequelæ, Aperturæ, Collectandi, Conducendi, Iurisdictionem Civilem & Criminalem, vectigalia & cœtera Regalia, quæ suprà latius explicavimus (b. Quanquam autem hæc omnia Domino Territorii jure Superioritatis competant: fieri tamen potest, ut eorum nonnulla extraneo & vicini Territorii Domino specialiter constituta sint, quasi servitutis cujusdam jure. Sic jus Sequelæ potest quis habere, etsi non sit Territorii dominus (c. Ius Aperturæ itidem Principes sæpe in arce, vel Civitate extra Territorium sitâ habent (d. Eadem ratio est juris Collectandi (e, Conducendi (f, aliorumque Regalium (g. Quin etiam Iurisdictionem aliquam particularem in alieno Territorio quis habere potest, ut sæpe accidit. Et in universum non esse novum tradunt, ut una provincia plurium dominatu fatigetur, alio summum imperium, alio Iurisdictionem simplicem, alio jus Gladii, alio alia jura sibi vindicante (h. Manifestum igitur est, quemadmodum Superioritas Territorialis instar dominii cujusdam universalis se habet, sic hæc jura particularia, quæ in alieno Territorio competunt, servitutibus realibus respondere.

XVI. Unum tamen obstare videtur, quòd scilicet jure Civili servitus realis nonnisi ad prædii alicuius, quod inde dominans vocatur, utilitatem constitui possit (i. Sed Regalia & id genus alia jura, quæ extra Territorium constituta sunt, magis personæ, cui competunt, quàm ejus Territorio inservire videntur. Si enim, exempli gratiâ, Princeps aliquis in urbe quâdam Imperiali, aut aliâ vicinâ regione specialem quandam Iurisdictionem habeat: Iurisdictio illa, utut ipsi satis utilitatis afferat, non tamen Territorii administrationem ita juvat, quemadmodum servitutes reales prædio dominanti utilitatem afferunt. Iure autem Civili, si cuipiam jus quoddam constituatur, quod magis commoditatem possessoris personalem, quam usum prædii concernat, v. gr. ut pomum decerpere, ut spatiari, ut cœnare in alieno liceat (k, non servitus prædialis censetur,

(a) Zas. l. 2. sing. resp. c. 31 n 3. in fin.

b) c. 3 add. Reink. l. 1. cl. 5. c 1 n. 27. ubi quomodo ius Territ. univ sit, pluribus exponit.

c) Wehner. in pract. obs. verb. Folge.

d) Reink d. reg sec l. 1. clas 5 c. 4. n. 110.

e) Klok. de contrib c. 3. n. 177. & seq

f) Wehner. in observ. pract verb. Glaidt.

g) id verbo Herligk.

h) Gylman. symph sup. tom. 1 p. 2. t. t 3 vol 2. 15 Meisch. dec. Cam. 3. sub. n 34. 10. 3. Knich. de jur Territ. cap. 4.

(i) l. 5 & 6. l. 24. 30. 33. ff de servit. rust. præd (k) l. 8. ff. de servit.

tur, sed vel mera obligatio, ut plerique opinantur (a, vel ut alii, servitus tantùm personalis, instar usus cuiusdam (b. Proinde cum morte personæ etiam extinguitur (c, nec transit ad hæredem. Unde jure Civili Romano servitus prædialis, ut aucupium in fundo vicino facere, vel venari liceat, constitui nequit (d. Verùm quanquam ita se res habeat secundum ius Civile: hodiernâ tamen consuetudine receptum videtur, jura eiusmodi realia, quæ etiam ad hæredes transeant, licèt utilitas inde magis ad possessoris personam, quàm ad prædium redundet, constitui posse. Zasius sane (e contra communem Jurisconsultorum opinionem conatur defendere, jura venandi, aucupandi in fundo alieno, & id genus alia, inter servitutes reales censeri posse: secundum quam opinionem in Camerâ Imperiali judicatum fuisse refert Gailius (f, non quidem ex iure Civili, sed ex notissimâ Germaniæ consuetudine. Si tamen rectè expendimus, jura eiusmodi incorporalia genus quoddam inter servitutes personales & prædiales intermedium constituere videntur. Non enim rei, sed personæ utilitatem afferunt, quod servitutum personalium est: nihilominus ad hæredes transeunt, quod servitutum realium est. Hinc rectè se videtur habere doctrina Pautmeisteri (g, qui iura realia dividit in nominata, & innominata. Nominata vocat iure Civili cognita: innominata, quæ moribus introducta, ita ut licet prædio non inserviant, in reliquis tamen servitutum naturam habeant; cuiusmodi sunt iura venandi & cætera ab allegatis autoribus enarrata. Ad hoc igitur genus jurium realium innominatorum etiam Iurisdictio, & Regalia particularia, quæ non iure Territorii, sed speciali privilegio, pacto, vel præscriptione alicui competunt, referenda sunt. Quædam tamen etiam ipsius Territorii utilitatem concernunt, v. gr. Ius Aperturæ. Hoc enim defendendæ Regionis causâ constituitur. Quin igitur hæc planè instar servitutum realium se habeant, dubitari nequit. Nec putandum, hanc inanem esse subtilitatem. Quantam enim utilitatem habeat, patebit infrà, ubi modos acquirendi & amittendi, imprimis verò ubi actiones recensebimus.

XVII. Ad iura in re spectat etiam communio, quippe quæ in omnibus rebus ac iuribus, vel ex causâ hæreditatis, vel ex quâcunq; alia,

(a) Glo. T. Bart. & alii in dict. l. 8. de servit.
b) Bachov. ad Treutl disp 17. th 5. l. C.
c) l. pen. ff. d. serv. rust. præd. l. 59. §. 4 de leg. 1.
d) arg. l. 16. ff. de servit. præd rust.
e) sing. intellect. l. 1. cap. 11. per tot.
f) 2. obs. 66. n. 2
g) de Iurisd. lib. 1. c. 20. n. 8.

alii, accidere potest. Unde Iure Romano iura communionis duobus titulis Familiæ herciscundæ, & Communi dividundo, explicantur. Verùm quæ ad hæreditatem & familiæ herciscundæ judicium pertinent, plenius intelligentur ex iis, quæ infrà de successione dicentur. Nunc saltem usum iuris privati in ratione, vel communis administrationis, vel divisionis ineundæ, ostendemus. Integras enim sæpe regiones communi administratione regi videmus. Nonnulli verò Principes licèt cœtera diviserint, iudicium tamen appellationis, aut tale aliud quippiam commune habent (*a*. Interdum pagus, vel oppidum (*b*, Iurisdictio, aut Regalia pluribus communia sunt. In hoc igitur genere administrationis quid singuli iuris habeant, an omnium consensu de rebus communibus statuendum, an verò maioris partis decreto standum sit, quæri potest. Discrepat hâc in re à Iure publico Ius privatum. Nam Iure publico ubi plures æquali potestate Remp. administrant, maior pars minorem vincit, adeoque, quod maior pars decreverit, reliqui, qui minori numero sunt, ratum habere tenentur (*c*. Econtrariò lex communionis privatæ est, quod omnes tangit, ab omnibus probari debere: & in re communi potiorem esse causam prohibentis [*d*. Cui enim hâc lege in communione manere non libet, ad divisionem provocare potest. Quando igitur Principes de Regionis, aut rei particularis, quam pro indiviso possident, administratione in commune consultant, utra lex sequenda est? Sanè quoniam Principes isti non lege publicâ, sed iure ac potestate dominii propriâ voluntate consociantur, utique dicendum est, non legem illam societatis publicæ, sed potiùs communionis privatæ regulam locum habere. Itaque vel unius dissensu reliquorum decreta impedire potest. Quò spectat recepta distinctio: quando aliquid commune est, ut universis, id ratum esse, quod maior pars statuerit: quando verò aliquid commune est, ut singulis, tunc potiorem esse causam prohibentis [*e*. Sunt tamen exceptiones nonnullæ, quæ ab aliis explicantur (*f*.

XIIX. Quoniam verò communio mater est discordiarum (*g*, adeoque nemo in communione invitus retinendus est (*h*, sed vel unus reliquos socios, quantumvis reluctantes, ad divisionem cogere potest (*i*, adeò ut ne pactum quidem perpetuæ societatis valeat (*k*

a) Besold. disp. Nomicopol 7. n. 9
b) Gail de pignor. obs. 20. in princ.
c) l. 39. de re jud. l. 19. & ibi. Bart. ff. ad municip Grot de jur. bell. & pac. l. 2. c. 5. n. 17.
d) l. 28 ff. comm. div. l. 11. ff. de serv. rustic. præd.
e) Gail. de pign c. 20. Ant. Faber. in Cod l. 3. t. 26. defin. 5. n. 7.
f) Fab. dict. tit. definit. 5 gloss. in d. l. 28. comm. div.
g) l 77. §. 20 ff. de leg. 2.
h) l. ult. C. comm. div.
i) l. 8 pr. ff. eod.
k) l. 14. §. 2. eod.

Quando igitur res in contentionem venit, quin officium Iudicis in regione, iurisdictione, aut aliquo iure Regali dividendo idem sit cum eo, quod titulis Familiæ herciscundæ, & Communi dividundo explicatur, dubitari nequit. Quanquam enim multi statuant, Iurisdictionem, tanquam incorporale aliquid, respectu iuris vel substantiæ individuam esse, ideoque ad hæredes in solidum transmitti (b: plerique tamen etiam quoad ipsam substantiam divisionem Iurisdictionis admittunt [c. Verùm fortassis hoc ita generaliter definiri nequit, cùm non omnis Iurisdictionis eadem ratio sit. Interdum enim quasi dominii, interdum quasi servitutis iure competit, ut ex iis, quæ ante dicta sunt, constat. Dominium verò dividuum, servitus verò individua censetur. Deinde nec obiecta Iurisdictionis eodem modo se habent. Interdum enim territorium distinctas quasdam partes habet. Quid igitur tunc impedit, quò minùs Iurisdictionem dividamus? Sed quando ad unam Civitatem restricta est, dividere eam difficile, & cum maximis incommodis coniunctū foret. Eo igitur casu, quando Iurisdictio individua est, nihilominus ratio aliqua divisionis ineūda est; eadem nimirum, quæ in servitutum divisione adhibetur. Hæ enim jure & substantiâ individuæ sunt [d: nihilominus commoditas & utilitas, quæ inde redit, dividi potest (e. Imprimis hoc perspicuum est in usufructu. Hic enim ius planè individuum est, quippe quod à personis, quibus competit, sine interitu sui avelli non potest [f. Quomodo tamen in divisionem venire possit, exponit JCtus (g) hisce verbis: *Cùm de usufructu communi dividundo judicium agitur, judex officium suum ita diriget, ut vel regionibus eis uti frui permittat, vel locet usumfructum uni ex illis, vel tertiæ personæ, ut hi pensiones sine ullâ controversiâ percipiant: vel si res mobiles sint, etiam sic poterit, ut inter eos conveniat, caveantque per tempora se usuros & fruituros, hoc est, ut apud singulos mutuâ vice certo tempore sit ususfructus.* Apparet sanè, emolumenta dividi, jus penes omnes indivisum manere. Hujusmodi igitur rationes pro re natâ etiam in Iurisdictionis divisione ineundæ, sunt Exemplum extat apud Antonium Fabrum (h.

b) Matth. Steph, d Iurisd. l. 1. c. 36
c) Rosenth. de feud. c. 9 cōcl. 53. n. 8.
d) l. 2 pr. l. 72. ff. de verb. obl.
e) l. 25 & ibi Dd. ff de serv. rustic. præd. l. 19. §. 4 ff. com. divid.
(f) l. 15. ff. fam. herc.
g) l. 7. § 10. ff. comm. divid.
h) Eod. tit. 26. def. 5.

XIX. Eodem temperamento veteres Interpretes juris Feudalis excusare voluerunt divisionem feudorum Regalium, quæ contra

præ-

prohibitionem juris Feudalis (a) irrepsit. Dicunt enim, quamvis ipsius utilis dominii jus individuum sit, attamen administrationem & emolumentorum perceptionem dividi, non esse prohibitum (b). Quanquam verò hoc menti Juris Feudalis non conveniat (c), certum tamen est, nonnullos in divisione feudorum Regalium hâc moderatione, quam in usus fructus divisione adhiberi ostendimus, usos esse, ut fructus & emolumenta tantũ diviserint, ipsum verò jus utilis dominii omnes pro indiviso retinuerint. Quin etiam Reinkingius (d), contendit, in dubio hoc præsumi, quod legibus & autoritatibus confirmare nititur. Negari tamen non potest, plurimos Principes longiùs progressos, & ipsum etiam utile dominium divisisse, quam notoriam Germaniæ consvetudinem esse, tradit Gallius (e). Sed hâc dere iterum infrà dicendum erit, ubi de successione agetur.

a) 2. feud. 55 §. præterea.
b) Vid. ap. vult. de feu. c. 8. n. 174.
c) Rosenth. de feud. cap. 7. concl. 56. n. 12.
d) de reg. sec. & Eccl. l. 1. cl. 4. c. 17. n. 16.
e) 2. obs. 153 n.

XX. Juri communionis quodammodo affine est jus, quod inter duos vicinos in custodiendis & regundis finibus versatur; unde actio finium regundorum nascitur. Hic quoque similitudo inter fundos privatos & integras provincias satis perspicua est. Itaque Iudex in finalibus controversiis inter provincias diiudicandis versabitur ex præscripto legum privatarum. Custodiet nimirum antiquos limites, quos vel natura, vel industria humana posuit, ubi evidentes sunt; vel si obfuscati, indagabit antiqua monumenta (f), communem circumcolentium existimationem (g), ac id genus alia varia adminicula, & sic turbatos fines restituet: vel verò, si nulla veterum limitum vestigia apparent, nec probari possunt, ipse ex consilio agrimensorum novos fines constituet (h). In summâ officium ejus idem est, quod Iudicis in privatorum finibus regundis; ceu videre licet apud Mynsingerum (i), qui aliquot capitibus explicat, quid Camera Imperialis in finali controversiâ inter Episcopum Würtzburgensem & Abbatem Fuldensem statuerit.

f) l. 11. in fin. ff. fin. reg.
g) arg. l. 2. ff. de flumin. Gail. 2. obs. 62. n. 11.
h) l. 8. ff fin. regund. l. 6 si quis super. C. eod.
(i) 6. obs. 25. 26. 27.

XXI. Superesse videtur, ut de possessione videamus. Sed quid manifestius, quàm hujus materiæ usum longè maximum esse. Imò in controversiis de Iure Territorii, de Regalibus & hujus generis aliis Iuribus quæstio possessionis utramque quasi paginam facit (k) adeò ut in Imperio nostro peculiarem quandam constitutionem facere opus fuerit de litigiosâ possessione (l), quæ cum paucis quibus-

k) Mynsi. cent. 6. obs. 13 n. 7.
l) Ord. Cā. p. 2. t. 21.

 dam

dam aliis quasi appendix quædam videtur Constitutionis de Pace publicâ. Habet autem hæc materia quæstiones difficiles & subtiles, de acquirendâ, retinendâ, amittendâ & probandâ possessione, de possessione justâ, vel vitiosâ, violentâ scilicet, clandestinâ, vel precariâ, quæ omnes ex Iure Civili privato deciduntur. Parum enim interest inter publicarum & privatarum rerum possessionem. Lucem Soli fœnerari viderer, si hoc exemplis ostendere conarer.

XXII. Potiùs igitur ad modos, quibus ipsum Ius Superioritatis Territorialis acquiritur transeamus, & num ex Iure privato interpretationem aliquam recipiant, consideremus. Cûm enim multi sint modi, quibus privata dominia acquiruntur, haud absimile vero est, aliquos eorum etiam juri Territorii, quod instar dominii cujusdam sese habere ostendimus, applicari. Primus modus acquirendi Superioritatem Territorialem ab iis, qui hanc materiam tractant, constituitur *Concessio Imperatoris* [a. Nimirum etiam privatorum fundorum prima distributio & assignatio in singulis Civitatibus autoritate publicâ, vel facta est, vel fieri debuit [b. Unde apud Jurisconsultos dominiorum distinctioni divisionem territoriorum comparari videas [c. Addi hoc etiam potest, quòd, quemadmodum prædia & patrimonia privata, si domino carere incipiant, ad ipsam Remp. redeunt [d, sic Territorium, si Autore & domino destituatur, Imperatori vacuum fiat, ut secundum leges Imperii, vel Reipubl. servet, vel alteri rursus concedat. Fatendum tamen est, totum hoc, quòd ad concessionem Territoriorum & autoritatem Imperatoris in eâ re pertinet, non tam ex privato, quàm publico Iure petendum esse, cumprimis etiam ex Iure Feudali, quoniam pleraque Territoria feudi jure possidentur. Aliquem tamen usum jura privata etiam habere, dubitare nos non sinunt, quæ Interpretes Juris Feudalis tractant de investituris & expectativis, quas vocant. Præterea traditio possessionis etiam requiritur, quæ Iuris privati materia est. Unde Paurmeisterus [e] hoc loco tractat quæstionem illam, an qualiscunque rei contactus, an possessionis vacuæ traditio necessaria sit.

a) Knich d. jur. territ. c. 2. Reink. de reg. sec. l. 1. clas. 5. c. 2.
b) Grot. l. 2. de jur. bell. & pac. c. 2. n. 4. & c. 3. n. 14.
c) Reink de reg. sec. lib 1, clas. 5. cap. 1. n. 52.
d) Grot. d. cap. 3. n. 19.
e) de Iurisd. l. 1. cap 22.

XXIII. Alter modus, quo Superioritas Territorialis acquiritur, est *Præscriptio*. Hæc verò materia Iure Civili magis trita est, ideoque regulæ illius locum habere videntur. Subest tamen diffi-

cul-

cultas. Proponit hanc quæſtionem Hugo Grotius [a], an lex de Uſucapione, aut Præſcriptione condita ab eo, qui habet ſummum imperium, pertineat etiam ad ipſum ius Imperii, & eius partes neceſſarias. Negat autem ipſe, & reprehendit Iuriſconſultos illos, qui quæſtiones de ſummo Imperio ex jure tractant Civili Romanorum. Addit autem. *Ea verò, quæ de ſummi imperii naturâ non ſunt, nec ut proprietates naturales ad eam pertinent, ſed aut ſeparari ab ea naturaliter poſſunt, aut ſaltem cum aliis communicari, omnino ſubjacent legibus populi cujusque civilibus, quæ de Uſucapione & Præſcriptione facta ſunt. Sic ſubditos eſſe videmus, qui præſcriptione acquiſierunt, ut appellari ab iis non poſſit.* Hactenus Grotius. Diſtinguit nimirum inter ſummum imperium, ad quod negat pertinere leges Civiles de Uſucapione & Præſcriptione latas; & Imperia inferiora, quæ à ſummâ poteſtate aliis communicari ſolent, quæ iisdem legibus ſubjacere contendit. Verùm utrumque membrum non caret controverſiâ.

XXII. Ut autem à poſteriori incipiamus; quod Grotius dicit, illas imperii Civilis partes, quæ inferioris gradus ſunt, ſubiacere cujusque populi legibus de præſcriptione & uſucapione latis, generaliter verum non eſt. Nam uſucapio ad eas res pertinet, quæ in patrimonio eſſe poſſunt. Ubi igitur Jurisdictio res patrimonii non cenſetur, ibi nec legibus præſcriptionum ſubiacet. Jure Romano igitur Iurisdictionem præſcriptione acquiri, æquè inauditum eſt, ac quenquam in patrimonio eam habere? Totum igitur hoc ex moribus hodiernis eſt, non ex jure Romano. Interpretes tamen noſtri, veteres præſertim, cùm Jurisdictionis præſentem formam ex jure Romano quærerent, etiam illa, quæ Romanis legibus contraria ſunt, illarum autoritate ſtabilire conati ſunt. Accedit, quod conſvetudinem cum præſcriptione confuderint. Leges itaque (b) quibus Jurisdictio conſvetudini ſubiicitur, ipſi de præſcriptione interpretantur (c). Potiùs hâc ratione uti debuiſſent, quòd Jurisdictio hodie dominii & patrimonii jure cenſeatur. Hoc poſito, leges Romanæ de rerum patrimonialium præſcriptione latæ rectè ei applicantur (d). Quoniam tamen materia præſcriptionum controverſiarum plena eſt, fieri aliter non potuit, quin in ipſâ applicatione legum Romanarum difficultas oriretur. Primò quidem, ſi una

a) de Iure belli & pac. lib. 2 cap. 4. n. 12.

b) l. 8. C. de diverſ. offic

c) Iaſon in l. 3. C. de jurisd. n. 10.

d) Vid. H. Hahn. ICt. V. Amp. ad Weſ. Par ff. de jur. n. 9.

unà cum castro, territorio aliquo, vel parte territorii usucapiatur, satis certum est, eodem tempore, quo ipsum territorium, tanquam accessionem ejus usucapi (a). Quòd si verò seorsim, absque territorio, acquiratur, ibi difficultas aliqua subest. Tùnc enim instar rei incorporalis & servitutis se habet, ut suprà tradidimus. Servitutum autem præscriptio multas patitur controversias. Veteres enim plerique statuunt, servitutes discontinuas non nisi præscriptione immemoriali acquiri (b). Quoniam igitur Jurisdictio jus discontinuum est, hanc quoque nonnisi tempore immemoriali quæri tradunt (c). Verùm recentiores distinctionem illam inter continuas & discontinuas servitutes erroneam esse, atque omnes absque discrimine longo tempore præscribi ostendunt (d). Itaque jurisdictionem etiam vel longo x. aut xx. annorum, instar servitutum, vel longissimo xxx annorum tempore acquiri tradunt (e). Idem de Regalibus, quæ non ab ipso Imperatore, sed ab alio inferioris conditionis præscriptione acquiruntur tradit Sixtinus (f).

XXIV. Ita quidem de Jurisdictone & Regalibus particularibus se res habet. Alia autem quæstio est, si de universâ Superioritate acquirendâ quæratur. Hæc enim, quanquam in Imperio nostro non sit potestas omnium summa, & ab Imperatore Imperii Ordinibus communicata: non tamen planè inde dependet, sed in peculiaris cujusdam Reipubl. regimine versatur, & summæ Majestatis quodammodo æmula est. *Summum autem Imperium*, inquit Grotius, [g] *non est paris rationis cum rebus aliis, imò nobilitate suâ res alias multùm excedit*, & propterea legibus de cœterarum rerum præscriptione latis subjectum non est. Idem igitur ex eâdem ratione de Superioritate Territoriali dicendum est. Verùm de ipsius summi Imperii juribus, quæ apud nos Reservata Imperatoris vocantur res controversa est. Alii enim hæc ullo omnino modo, ullòve tempore præscribi negant (h). alii autem præscriptioni immemoriali in iis locum faciunt [i]. Sed dissensio hæc fortassis inde est, quòd de præscriptione immemoriali inter omnes non conveniat. Multi enim instar vulgaris cujusdam præscriptionis legibus Civilibus determinatæ eam concipiunt. Itaque certo temporis spatio eam includere, & quæstiones descientiâ & patientiâ ejus, adversus quem currit præscriptio, de

a) Wes. par. ff. de jur. n. 7.
b) Gail. 2. obs. 66. n. 7.
c) Vid. apud Long. in l. 3 ff. d. jurisd.
d) Wes. in par. ff. de serv. n. 5.
e) Longov. dict. loc. Wes. in par. ff. de Jurisd. n. 9. Paur de Iur lib. 1. cap. 23
f) de Regal l. 1. c. 5. n. 157
g) lib. 2. de jur. bell. & pac. cap. 4. n. 14.
h) Crav. de antiq. temp. part. 4. n. 19 Bal. de præs. 2. part. 5. part. princ. q. 1. n. 3.
i) Gail. 1 de pac. publ. cap. 6. n. 11. Myns. obs. 30.

de bonâ fide usucapientis, & id genus cœteras, etiam ad præscriptionem immemorialem accommodare volunt. Ad hunc modum præscriptio immemorialis si figuretur, mirum non est, summam potestatem ei subjectam negari. Revera autem longè aliter se habet. Imo adeò diversa est à præscriptione vulgari, ut jure Civili ne nomen quidem præscriptionis ei tribuatur, sed vetustas tantùm vocari soleat [a]. Unde est, quod si in dispositione aliquâ publicâ, vel privatâ, clausula illa adjecta sit, *Nullâ obstante præscriptione*, non tamen censeatur exclusa immemorialis præscriptio, quoniam hæc sub mentione præscriptionis non continetur, sed longè alterius generis est [b]. Non enim tam lege aliquâ Civili, vel, ut loquuntur, positivâ introducta est, quàm ex ipsâ rerum humanarum conditione expressa. Unde non tantùm inter unius imperii Cives, sed inter ipsos etiam populos liberos Iure Gentium locum habet; ut pluribus ostendit Grotius [c]. Quippe fundata est in præsumtione quâdam, quæ ex antiquitate temporis oritur [d]. Habet enim tempus hanc vim, ut nisi rei veritatem aliunde noverimus, præsumtionem faciat, ab initio rectè constituta fuisse ea, quæ diu eodem statu fuerunt. Itaque possessio diuturna justa præsumitur, imo præsumtionem dominii parit [e], etiam remotâ lege Civili de usucapionibus. Quò autem tempus diuturnius, eò præsumtionem firmiorem fieri necesse est. Quòd si eousque progrediatur, ut jam nulla ampliùs initii memoria extet, ut nemo sit, qui aliter meminerit, viderit, vel audiverit [f]; quid aliud credere possumus, quàm quæ tanto tempore duraverunt, jure constituta esse? Quemadmodum igitur tunc tempus in infinitum abit; sic etiam præsumtio tam valida nascitur, ut tanta vis argumenti, quâ ea ex animo nobis deleatur, vix suppetere possit. Unde etiam in quæstione est, an probatio ulla in contrarium admittatur [g]. Hæc igitur est præscriptio immemorialis illa, quæ jure Civili vetustas vocatur, & autoritatem dare dicitur, etsi jus non probetur (h. Imò potiùs pro jure constitutis habentur, quæ eâ nituntur (i. Itaque vetustas vicem legis tenere (k, & dominia, jura, atque omnia, quæ in mundo sunt, videlicet quæ ab hominum instituto pendent, mutare dicitur (l). Quæ cùm ita sint, utique manifestum est, ipsa etiam Iura summi imperii ab immemorialis temporis præscri-

a) l. 1. in fin. l. 2. prin. cl. ult. ff. de aq. & aq. pluv. arc.
b) Bald. in l. 1. C. de annal præscr. Matth. de Afflict. decis. 254. n. 5.
(c) lib. 2 de jur. bell. & pac. cap 4.
d) Wesemb. in parat. ff. de servit. n. 5. vers. Nihilominus.
(e) idem ff. de acquir. vel amitt. possess. n. 7.
f) l. 28 ff. de probat.
g) Mynss. 2. obs. 30. Wesemb. cons. 2. n. 83. Meno: h. l. 3. præsum. 131. n. 39. Mascar. de probat. con clus. 1043.
h) l. ult de aq. & aq. pluv. arc.
i) l. 3. §. 4. ff de aq. quot. & æsti- (k) l. ... 2. ff. de aq. pluv. arc (l) Oldend. clas. 3. ... 2. vers. illud.

scri-

ſcriptione exemta non eſſe. Quantumvis enim inter reliqua humana emineant: tempus tamen non minùs hæc quoque mutat, quàm cœtera, mutatisque diuturnitate tandem autoritatem juris conciliat. Rectè igitur ſtatuunt Autores, quos ſuprà allegavimus, Reſervata Imperatoris immemoriali tempore præſcribi poſſe (a. Quàm multa enim olim Reſervata Imperatoris, quæ hodie promiſcua facta. Quemadmodum igitur conſuetudo in univerſum mutat Reip. ſtatum: ita & ſingulis perſonis, vel certo Ordini præſcriptione immemoriali Iura ſummi Imperii acquiruntur. Quapropter quid de Superioritate Territoriali dicendum ſit, non poteſt ampliùs eſſe obſcurum. Quantumvis enim ordinariarum præſcriptionum legibus non ſubjecta ſit: nihilominus tamen immemoriali tempore, & acquiri, & amitti eam, neceſſe eſt. Atque ita ſanè communis habet opinio (b.

XXVI. Quæ cùm ita ſint, omnino ſequitur Iuri Civili privato hic locum fore. Non enim in propatulo eſt, quomodo judex in dijudicandâ immemoriali præſcriptione verſari debeat. Ad Ius igitur Civile Romanum recurrimus, quo hæc materia explicata eſt (c. Unde Mynſingerus (d, *Tradunt*, inquit, *communiter Dd. ad probandum tempus, cuius initij memoria non extat in contrarium, requiri ſequentia: primò quod teſtes ſint ad minus 45. annorum, & de 40. annis teſtentur: deinde quòd teſtes neceſſariò dicant, communem opinionem eſſe, quòd de contrario uſu non exiſtat memoria: tertiò quòd teſtes ita ſemper viderint, & audiverint à ſuis maioribus; quartò quòd nunquam fuerit obſervatum contrarium.* Eadem ferè tradit Gailius (e. Atque hæc in Camerâ Imperiali obſervari, apparet ex relatione cauſæ Wormbs contra Wormbs / & cauſæ Bartensleben contra die Dorffſchafft Xummer (f), in quibus de præſcriptione immemoriali diſceptatum fuit. Inania igitur ſunt, quæ alii, vel de centum, vel de ſeptuaginta, vel de quadraginta annis tradunt (g. Non poteſt enim hoc liquidò determinari. Aliàs brevi interit memoria rei; aliàs longiùs durat. Itaque totum hoc arbitrio judicis committendum (h. Unde Iure Civili ad hanc quæſtionem dijudicandam arbiter dabatur (i. Hactenus de præſcriptione.

XXVII. Tertius modus acquirendi Superioritatem Territorialem eſt *Succeſſio*; qui modus ad Principes tantùm Seculares, Comites, ac Barones pertinet, ſecus ac duo priores modi, qui omnibus Im-

a) adde Grot. dict. l. 2. de jure bell. & pac. cap. 4. n. 14.
b) Knich de jure territ. c. 3. n. 53. Meiſchn. tom. 2. lib. 2 dec. 8 n. 25. Reinki. de reg. ſecul. lib. 1. claſ. 5. cap. 1. n. 24.
c) l. 28. ff. de prob. junct. l. 2. §. 8. ff. de aq. pluv. arc.
d) cent 1. obſ. 3.
e) 2. obſ. 66. n. 9.
f) Kloc. vot Cam. rel. 65. & 131.
g) vid. apud Reink. de reg. ſecul. lib 1. claſ. 5. cap. 2. n. 40 & 43.
h) Menoch. præl. 3. lib. 2
i) l. 28. ff. de prob.

Imperii Ordinibus communes sunt. Non autem ex testamento, sed ab intestato ex lege succeditur, & quidem non ex legibus privatarum hæreditatum, sed jure potiùs Feudali. Quanquam verò contra juris Feudalis constitutionem, quâ feuda Regalia dividi prohibentur (a, consuetudine receptum sit, ut hæc, non minùs ac alia feuda, in divisionem veniant (b: quoniam tamen hæc ratio succedendi, & Imperio, & ipsis Regionibus, magna affert incommoda; ideoque Ius Primogenituræ, quod vocant, in Electoratibus quidem lege publicâ (c, in aliis autem familiis Illustribus, vel pacto, vel consuetudine, introductum est; quâ tamen de re in aliquot familiis gravissimæ controversiæ extiterunt. Quòd autem quæstionem, quæ propriè hujus loci est, attinet; quanquam ratio succedendi in feudis diversa sit à successione patrimoniali, quæ Iure communi traditur: nihilominus, quin hujus etiam in successione feudali maximus usus sit, dubitari non potest. Nam *strenuus Iurisperitus, sicubi casus emerserit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumniâ uti poterit lege scriptâ* (d. Accedit, quòd nonnulli Comitatus non sint feudales, sed patrimoniales (e, in quibus planè juxta dispositionem juris communis successio fit. Sed de re manifestâ nolumus plura dicere.

a) 2. feud. 55 §. præterea
b) Gail. 2. obs. 153 n. 1.
c) Aur. Bul. tit 7.
d) 2. feud. 1. Rosent. de feud. c. 7. concl. 1.
e) Symph. tom. 3. ver. Comitatus.

XXIIX. Reliqui modi acquirendi Superioritatem Territorialem, qui afferri solent, à jure privato magis alieni sunt. Itaque eos non attingemus. Propositum autem nobis fuerat, de modis amittendi, & reliquis Iuris capitibus, aliquid addere. Sed quoniam ad finem properamus, coacti sumus hæc omittere.

XXIX. Accedamus igitur ad tertium juris caput, quod ad actiones & judicia pertinet. In Iudiciis autem duplex quæstio versatur, altera Iuris, altera facti (f; & Iuris quidem quæstio ex actionibus & exceptionibus, facti autem quæstio ex probationibus deciditur. Hinc in relationibus causarum, post formalia, quæ vocantur, processus, primò actio, deinde probatio ejus, postea exceptiones, earumque probationes considerantur. Nunc igitur actiones, quibus imitatione & exemplo juris privati de Iure Territorii disceptatur, breviter nobis enarrandæ sunt. Sufficere autem possunt usu præcipuæ, quales sine dubio sunt actiones in rem petitoriæ, & interdicta possessoria. Primò autē quoniam Principes seculares jure successionis ditiones consequuntur, de petitione hæreditatis quærendum est. Di-

f) Aristo. 1. Rhet. 1. l. 1. §. 4. ff. ad Sen. Turpil.

 cen-

cendum enim videbatur, ad hoc jus successionis ab injustis possessoribus vindicandum utilem hæreditatis petitionem eis accommodandam esse. Verùm quoniam hæc successio non est mera hæreditas, sed alterius cujusdam generis, propterea plerique negant, pro eâ asserenda petitionem hæreditatis competere (a); nisi fortè feudum sit merè hæreditarium (b, aut per consequentiam quandam cum universâ hæreditate, tanquam quælibet res alia à defuncto possess., in petitionē hæreditatis veniat; quâ tamen de re variæ dissensiones sunt (c.

XXX. Hoc certum est, quoniam Proceres Imperii regiones suas utilis cujusdam dominii jure tenent, utilem rei vindicationem iis competere. Hâc enim actione etiam feuda vindicantur (d. Eandemque successoribus feudalibus ad jus per successionem ad ipsos devolutum petendum dari, multis præjudiciis Cameralibus confirmat Rosenthalius (e. Itaque integra Territoria, castra, oppida cum jure Superioritatis, Iurisdictione, subditis & omnibus, quæ eò pertinent hâc actione repetuntur. Sed & partem territorii eodem modo vindicare licet (f.

XXXI. Præterea cùm Iurisdictio, & Regalia non tantùm Iure Territorii, sed sæpè speciali ex concessione, aut præscriptione, in alieno etiam Territorio competant; consequens est, pro hujusmodi juribus vindicandis, vel libertate Territorii contra injustos talium jurium usurpatores tuendâ, actiones utiles confessorias & negatorias dari. Has enim, quæ Iure Civili pro servitutibus introductæ sunt, Interpretes ad alia Iura & res incorporales rectè extendunt (g. Quanquam autem nonnulli ICti in eo dissentiant, ideoque ejusmodi actiones instituere, haud satis tutum arbitretur Cotmannus (h: ex multis tamen relationibus Cameralibus constat, hanc sententiam in Camerâ Imperiali absque omni hæsitatione esse receptam. Aliqua etiam præiudicia allegat Rulandus (i, qui, cùm pleniùs remedia ad hanc materiam spectantia explicet, nos facilè eo labore supersedere possumus.

XXXII. Pergimus igitur ad remedia possessoria, quæ, ut tritum est, in triplici differentiâ sunt, adipiscendæ sc., retinendæ, vel recuperandæ possessionis. Adipiscendæ est interdictum quorum bonorū, quod successoribus feudorum, atque sic Imperii Ordinibus etiam pro possessione regionum jure successionis obtinendâ utiliter competere certum est (k. Quòd si in possessione ritè quæsitâ turbentur, vel eâ dei-

a) Gotofr. Anton. disp. feud. 13. th 3 Ritt. part. feu. c. 8. n. 2
b) Mynf. 3. obs. 67.
c) Rosen. de feud. c. 7. concl. 12.
d) 2 feud 8. §. rei autem
e) de feud. c. 12. conc. 11. n. 39.
f) l. 67. ff de rei vindic.
g) Oldend. class. 3. act. 4 n. 3.
h) vol 1. resp. 30. n. 71.
i) de Com. p. 3. l. 3. c. 18. n. 9.
k.) Rosent. d. feud. c. 12 concl. 12. n. 32. Knic. de jur. ter. c. 6.

deiiciantur, interdictis uti possidetis, vel unde vi experiundum [a). Eadem remedia competunt illis, qui in Iurium ac rerum incorporalium possessione turbantur, aut eâ deiiciuntur (b. Mitto implorationes officii Iudicis, & id genus alia remedia possessoria, satis explicata ab iis, qui hanc materiam ex professo tractant, imprimis à Menochio. Pertinent huc etiam Constitutiones Imperii de litigiosâ possessione, & de pignorarionibus (c Item eò quodammodo referendum edictum de novi operis nuntiatione, quo itidem jura ac possessionem tuemur. Multæ gravissimæ controversiæ, quæ ex arcis, oppidi, aut munimenti alicujus extructione exoriuntur, adeoque securitatem totius alicuius provinciæ concernunt, ex edicto isto deciduntur. Brevitatis studio exempla, quæ satis illústria in Imperio nostro extant, omitto, & revertor ad remedia possessoria, quorum antè mentio facta.

XXXIII. Hoc verò imprimis in iis notandum, quòd ex opinione Doctorum, quando de Iure Superioritatis, vel etiam de Iurisdictione judicio possessorio disceptatur, non sufficiat possessionem probare, nisi & titulus ac possidendi causa aliquatenus ostendatur. Unde possessorium Iurisdictionis mixtum vocant, quasi ex causâ proprietatis aliquid admixtum habeat (d. Quanquam autem Iure Civili hæc sententia probari non possit: si quidem eo vetantur misceri possessio, & causa proprietatis [e: unde alii magni nominis ICti etiam in judicio, quo de Iurisdictionis quasi possessione disceptatur, mixturam illam reprobant, & nihil ampliùs præter vulgaria requisita, possessionem ex parte actoris, & turbationem ex parte rei desiderari statuunt (f: fatendum tamen est, in universum in judiciis possessoriis multa partim per jus Canonicum, partim per Doctorum opiniones contra Ius Civile introducta esse. Non enim satis tutum putamus, causam possessionis tantùm agere, nisi & de dominio aliquid admisceamus, ad colorandum, ut aiunt, possessorium. Verùm ita sæpe coloratio instituitur, ut causa hâc ratione ad aliquot annos protrahatur. Et sic possessorium non multò minùs difficile redditur, quàm petitorium. Ex eâdem coloratione hoc quoque accidit, quòd petitorium sæpe absorbeat possessorium, ita, ut licèt possessorio tantùm actum sit, receptis tamen etiam in petitorio probationibus, super utroque pronuntietur [g. Ex hâc igitur causâ necesse videtur fuisse, summarii & Ordinarii possessorii distinctionem introducere (h, ut quoni-

a) idem c. 5

b) Rulfd. d. Comm p. 3. l. 3. c. 5.

c) Ord. cam p. 2. t. 21. & 22.

d) Ref. ap. Gylm. p. 1. t it. 2. vot. 1 n. 21. Knich de jur. Ter. cap. 5. n. 3. & seq. Men. Retin remo 3. n. 590.

e) l. pen. ff. d acq. poss

f) Mynf. conf. 16. n. 3. & c. 42. Paurm. de Iurisd. l. 1. c. 29. n. 24.

g) Mynf. cent. 6. obs 93.

h) Gail. 1. obs. 7.

 am,

am ordinarium possessorium in petitorium quadantenus degenerat, æquè per aliud quoddam possessorium judicium brevius præparetur, quàm Iure Civili petitorium per possessorium ordinariâ viâ præparatur (a. Sufficiant hæc de actionibus.

XXXIV. De exceptionibus nolumus nunc specialiter agere. Fluunt ex iisdem ferè fontibus, ex quibus actiones oriuntur. Veniamus igitur ad probationes, ut videamus, quomodo quæstio facti decidatur. Sunt autem in universum vel inartificiales, tabulæ, testes, & cœtera eius generis; vel artificiales, quæ præsumtiones in Iure nostro vocantur. Locum facilè principem inter eas tenet præsumtio, quæ iis, qui exemtionem prætendunt, obiici solet, cùm dicitur, res omnes intra fines Territorii sitas, quoad Iurisdictionem præsumi illius esse, cujus est Territorium (b. Itaq; ei, qui exemtum se dicit, vel qui particulare ius in alterius Territorio sibi arrogat, onus probandi incumbit (c. Atque hæc præsumtio satis frequenter adhibetur, quam multis explicat, & contra Vietorem defendit Reinkingius (d. Sunt autem adhuc plures eius generis, quas non attingimus.

XXXV. Quoniã autem plerumq; judicia possess. instituũtur, præcipua quæstio est de probatione possessionis. Quemadm. igitur rerũ privatarũ possessio per actus possessorios probatur; ut si quis ostendat, se arasse, sementem fecisse, fructus percepisse, locasse, recepisse pensiones, probavit possessionẽ fundi (e: sic etiam Iurisdictionis & Superioritatis Territorialis quasi possessio non aliunde ostenditur, quam ex exercitio actuum particularium, qui ad potestatem illius Imperii spectant. Atque hâc sanè de causâ Autores, qui hoc argumentũ tractant, actus particulares Superioritatis Territorialis recensent, ut quomodò ex illorũ exercitio Superioritatis Territorialis quasi possessio probetur, ostendant (f. Sunt autem actus illi, homagiũ recipere, ad militiam, quando opus est, evocare, tributa indicere, leges & edicta promulgare, concilia provincialia convocare, magistratus constituere, ius dicere (g, & reliqua, quæ colligi possunt ex iis, quæ suprà de Superioritate Territoriali diximus (h. Et quoniã ex his actibus tanquam partibus universæ superioritatis exercitium colligitur, testes etiam singulares, v. gr. quorum alius de collectis, alius de Iurisdictione, alius de alio eiusmodi actu testatur, fidem faciunt; non obstante vulgatâ iuris regulâ, quòd testes singulares, licèt mille numero, nihil probent (i. Nam regula illa locũ non habet, quoties in genere aliquid probandum est. Tunc enim recipiuntur et-

a) l. 13. C. de rei vind.

b) arg. l. 73. §. 1. ff. de contr. emt.

(c) Gail. 2. ob. 69. n 9.

d) de reg. sec & Eccl. lib 1. class. 5 cap. 1 n 24. & 46.

e) Mascard de prob. concl. 1134. & seqq.

f) Knich. de jure territ. c 3. n° 212. & per tot. Reinki. de reg. secul. lib. 1. class. 5. cap. 4.

g) Gail. de arrest. cap 7. n. 17.

h) cap 3.

i) c 9. X. de probat.

iam singulares testes, ut unum integrum ex suis partibus ostendatur (a. Imo revera testes singulares non sunt, quoniam in genere concordant, atque in unum rei finem conspirant (b. Accidit autem, ut uterq; litigatorum ex ejusmodi actuum exercitio quasi possessionem probet; quo casu quodnam Iudicis officium sit, explicat Geilius (c.

XXXVI. Ex his fontibus Iudex tam Iuris, quàm facti quæstiones decidit: ideoque plus satis manifestum est, quantus Iuris Civilis privati in controversiis, quæ de Iure Territorii Iudicio disceptantur, utut materia Iuris publici sit, usus & autoritas sit; & quâ de causâ Iurisconsulti, qui se Ius publicum tractare profitentur, subinde leges Romani Iuris, etiam privati, in in hâc materiâ in subsidium vocent.

XXXVII. Unum tamen, antequam finiamus, adhuc monendum est, quod ad ipsam iudicandi rationem & Iudicis officiũ in hoc genere causarum pertinere videri potest. Quanquã in controversiis Principũ ac Ordinũ Imperii, sive de ipso jure Territorii, sive de re quâpiã aliâ exortis, diiudicandis leges Iuris privati adhibeamus, atq; sic causas Magnatũ & privatorũ magnã partem eodem Iure metiamur: nõ potest tamen Principibus eodẽ semper rigore, ac privatis, ius dici. Sæpe enim, ut nostræ quidẽ Reip. status se habet, vulnus maius est, quã ut ordinariam medicinã patiatur. Itaq; cùm controversia adeò latè patet, ut quietem publicam turbare possit, sæpè temperamento aliquo Iurisdictio mitigãnda est. Talis controversia fuit, quæ superiori seculo inter agnatos Alberti Brandenburgici, qui proscriptus fuerat, & ex alterâ parte Episcopos Franconiæ, Senatumque Noribergensem agitata est de arcibus, quæ per occasionem belli, & in executione contra proscriptum factâ destructæ fuerant. Illi enim harum arcium damna sibi sarciri debere contendebant: hi verò factum ex Constitutione Pacis publicæ, & decretis Imperii defendebant, & sumptus in executione factos repetebant. *Hic Cæsar* [verba sunt Thuani [d], *qui controversiam eam non privati iuris esse, sed ad tranquillitatem publicam spectare videret, quamvis contra Albertum facta à fœderatis rectè facta essent, tamen cùm morte eius crimen extinctum, & odium quadantenus expiatum videretur, ut concordiam inter primarios Imperii Proceres, & Episcopos, ac Civitates servaret, damnorum à Brandeburgicâ familiâ acceptorum rationem haberi voluit, & cùm jam anno superiori mense Martio fœderati universam à se occupatam regionem Georgio Friderico Alberti agnato & hæredi restituissent, insuper Cæsar censuit, ut pro arcibus destructis CLXXVCIↃ aureorum Brande-*

a) Mynß. cent. 3. obs. 76.
b) Gail. 2 obs. 66. n. 12 per l 6. C. d. pœnis.
c) de pign. obs 12. n. 4. & seqq.
d) lib. 21.

burgico dependerent: cui sententiæ postremò, ut damnosam belli molestiam e[...] fugerent, privatis rationibus publicæ quieti posthabitis, illi assensere. Atqu[...] hoc iudiciū Ferdinandi Cæsaris memorabile & æquitatis plenū: paul[...] ante idem Thuanus dixerat; quanquam si rem mero iure æstimaremu[...] subiniqunm videri posset. Sed æquum erat spectato statu Reip. nostra[...] Præcavendæ enim sedulò sunt in eiusmodi Rep. Magnatū contentio[...]nes, ut monet Aristot. [*a*, aut si caveri non potuit, quò minùs exoriren[...]tur, proximū est, ut quâcunq; ratione fieri potest, in herbâ supprimar[...]tur, ne malum latiùs serpens Rempubl. labefactet. Itaque in h[...] controversiis componendis non prudentia tantùm Iudiciaria, se[...] etiam Politica occupatur. Hæc causa est, quare Imperator[...] nostri Consiliarii Aulici sententiam in causis gravioribus, *si Poli[...]tica concurrant considerationes* (verbis hoc refero Reinkingii) *n[...] pronunciant, sed prius causam cum voto*, mit einem gutachten / *referu[...] ad Cæsarem. Quo facto, Cæsarea Maiestas causam in consilio secreto*, im geh[...]men Rath / *proponit, in quo non tam iustitia & iuris, quam status ratio con[...]deratur, utpote an tali, vel alio rerum statu commodum sit ita pronuntiare, [...] sine magno Imperii motu & scandalo sententia talis executioni mandari possi[...] Et si difficilis executio, vel alia incommoda timeantur, non rarò pronuncia[...] sententia concepta aliquantisper suspenditur, donec commodior exequendi occa[...]sio eveniat, uti factum in causa* Braunschweig *contra* Braunschwei[...] das Fürstenthum Grubenhagen betreffent: *item in causa* Baden *co[...]tra* Baden. *Si vero eiusmodi non occurrant obstacula, non facilè receditu[...] voto Senatus Aulici*, und wird es insgemein bey des Reichs-hoffrah[...] gutachten gelassen: *quod ita in Aula Cæsareâ observatum aliquoties vi[...]* Hactenus Reink. Nimirū in Iudiciis, quid iustum & legibus conven[...]ens sit, pronuntiatur: in Senatu autē momenta temporum, & ration[...] reip. expenduntur. Sœpe enim, prout pleræq; quidem Resp. se haben[...] tempori serviendum, ac velificatione quâdā utendum, quando rect[...] cursus teneri non potest. Sed Iudex, quatenus quide Iudex est, ad h[...] non respicit. Nam iuxta Aristot. [*c, damni tantùm differentiam intue[...] lex, personis ipsis utitur tanquam æqualibus.* Iudex igitur Magnatum co[...]troversias de Territoriis eodem Iure, quo lites privatorum de pat[...]moniis decidit; quod quoniam, sicut proposueramus, insignioribu[...] quibusdam exemplis per præcipua Iuris capita ostendimus, hîc sub[...]sistimus.

a) lib. 5. Polit. c. 3.

b) lib. 1. de reg. sec. & Ecl. class. 4. c. 19. n. 52

(c) lib. 5. Eth cap. 4.

F I N I S.